DISPUTATIO


DE EURIPIDE PHILOSOPHO,

AUCTORE

J. A. SCHNEITHER,

PHIL. THEOR. MAG. JUR. UTR.
ET LITT. HUM. DOCT.

GRONINGAE,
Apud W. v. BOEKEREN.



FRATRIBUS CARISSIMIS,

GERARDO JANO CHRISTIANO SCHNEITHER,

J. D.

REGII ORDINIS MILITARIS EQUITI, CONSILII, CUI SUMMUM INDIARUM BATAVARUM REGIMEN COMMISSUM EST, A SECRETIS.

AGATHONI SCHNEITHER,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. GYMNASII GRONINGANI RECTORI.

ET

GEORGIO ANTONIO SCHNEITHER,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. GYMNASII VADENSIS RECTORI.

MUTUAE CARITATIS TESTIMONIUM ET VINCULUM HOCCE OPUSCULUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Inter omnes illas artes et disciplinas, quas humanum ingenium excogitavit et perpolivit, multae inveniuntur, quae, ab aliis populis cultae, apud alios neglectae aut contemtae jaceant. Natura enim, quamquam hominibus omnibus easdem facultates videatur tribuisse, hominum mores et ingenium tamen ita varie, per totum orbem, sunt distincti, et diversi, ac secundum aëris temperiem, soli naturam, vel regiminis formam temperati, ut inde magnum, inter diversos populos, ortum sit discrimen; unde alius aliis disciplinis magis se daret, alias inveniret artes, aut eas magis excoleret. Sed, inter illas duo tamen sunt genera, quae aequa illa mater et hominum amans, omnibus universe tribuere voluisse est censenda, sive, quod hominum natura sine iis existere non posset, sive, quia nimis eximiae viderentur, ut singulis tantum populis, quasi propriae traderentur: Philosophiam dico et Poësin. Et profecto, ita comparatus videtur homo a natura, ut, non contentus iis, quae terra ei praebet ad victum comparandum, vitamque sustentandam, altiora quaerat, sentiat se non tantum huic terrae esse natum, facultatesque exi-

mias, quibus præditus est, majora spectare, quam vitam septuaginta aut octoginta annorum, molestiis et aerumnis repletam. Ita cogitationes suas ad divina extollit, et ecce nata est philosophia, quae, ut Plato recte dixit, donum et inventum est deorum, quod toti hominum generi in medio et communi expositum est (1).

Neque aliter poësis orta esse videtur. Quum enim homines, rudes in primis et inculti, animum ad majora illa extollerent, de rebus naturam humanam superantibus cogitare instituerent, praeterea multa in natura fieri animadverterent, quorum origo et ratio illos latebat, non aliter fieri poterat, quin eorum animos haec omnia ita afficerent, ut eliceretur poëseos illa vis, quam in hominum intimis præcordiis ubique latere diximus. Hujus rei veritatem historia nos docet: omnes enim populi, de quibus aliquid nobis innotuit, quo sint humanitatis gradu, cultissimi et maxime barbari, sive partes terrae habitant quae frigore rigent, sive eas, quae calore urantur, omnes poëtico sunt præditi ingenio, omnes animi affectiones et motus poësi quadam efferunt, omnibus haec quoque est innata.

Quodsi philosophia et poesis solae sunt disciplinae, quas natura omnibus populis tribuerit, et-

(1) Plato in *Timaeo* p. 47. C. Cf. Cicero *Academ.* I. 2. *Tuscul.* I. 26. Wyttenbach. *Lectiones Quinque* a Mahnio V. Cl. editae p. 5.

etiamsi apud omnes non ad eandem pervenerint maturitatem, miratio nulla nostram subibit mentem, si eas quoque apud omnes gentes, incultas præsertim, conjunctas esse videmus. Et profecto, cum utraque animo sublimitate sensuum elato, et mentis quasi extensioni primum debeat ortum et originem, accidere debebat, ut eodem tempore nascerentur, utque eidem fonti originem debentes, altera alteram sustentaret et nutriret; ita, ut poësis philosophiae tribueret formam, rei naturae et audientium auribus accommodatam, haec poëseos materia esset et argumentum.

Rudium enim hominum aures quam minime capit solutae orationis suavitas, neque si quid novum, attentione dignum, quis eos doceri, imo audire, cupivisset, solita loquendi ratione quidquam profecisset. Nam, cum ante literarum et scripturae inventionem, omnia memoria tenenda essent, quam maxime opus erat, ut numero et rythmo ea essent contenta, quae in memoria hominum servarentur et per ora virum irent. Hinc apud omnes gentes, antiquissima, quae supersunt, ingenii doctrinaeque monumenta ligato sermone continentur, sive narrationes sint et relationes factorum nobilium, a fortibus viris editorum, sive praecepta ad mores emendandos, et religionem, vel vitam instituendam et bene regendam accommodata.

Neque, apud Graecos, alio modo sese haec

res habuit. Primi, qui civibus et popularibus ingenio et virtute praestabant, ob eamque causam eos docere et eorum mores volebant lenire et emendare, ut grati essent et accepti rudibus illis hominibus, poëtico sermone sunt usi suaque praecepta metri legibus subjecerunt. Sic traditum est Linum, Musaeum, Orpheum, Dardanum, Amphionem, ceterosque, musica arte et poesi insignes, nobilissima protulisse præcepta, purissimas pro temporum suorum barbarie, habuisse placita, hominumque ingenia excoluisse, generatim initia docuisse et explicasse philosophiae; illius saltem partis, quae ad religionem, cultumque summi pertinebat numinis. «Nam," uti dixit summus Wyttenbachius (2) «quamquam philoso-«phiae nomen, antiquissima illa aetate, nondum «inventum esset, res ipsa tamen erat ejusque stu-«dium tractabatur." Quamnam vero vim in agrestes illos homines exercuerint, ex multis, quae de iis ferebantur, fabulis cognoscere possumus. Nota sunt quae de Orpheo, Amphione, aliisque narrantur, de quibus ita cecinit Horatius: (3)

Silvestres homines, sacer interpresque Deorum
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus.
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones.
Dictus et Amphion, Thebanae conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis, et prece blanda
Ducere quo vellet.

At

(2) *Lect. quinque* Ed. Mahne p. 25.
(3) *Art. poet.* vs. 391 sqq.

At postquam sequentibus temporibus, cum hominum animi magis se ad cultum et doctrinam vertere coepissent, et increscente scientiae cupiditate, studiique amore, solutâ oratione de rebus magni momenti, et praesertim de philosophia, coepisset agi, poësis tamen suam in ea vim non amisit, neque ab usu plane recessit. Nec mirum. Nam, cum a Dardano usque ad Pherecydem, qui primus prosa oratione sententias suas dicitur vulgasse, mille circiter elapsi sint anni, facile nobis persuadere possumus, hominum aures ita fuisse assuetas poëseos numero et suavitati, ut longum requireretur tempus, ante quam plane sese adaptassent sermoni, qui minore sese commendabat amoenitate et suavitate.

Sensim tamen mutata est ratio, qua conjunctae essent philosophia et poësis, et necessitudo, quae inter eas obtinuit, est imminuta et labefactata. Poëtae enim, cum viderent eos, qui ad philosophiae studium soluta uterentur oratione, disciplinam illam ita excolere, iisque illam incrementis augere, quae subtilitate et argutiis fere a liberiore poëseos ratione nimis abhorrerent, directam philosophiae tradendae viam deseruerunt, et magis se ad generalia praecepta converterunt, quae jam majori phantasia ornabantur, imaginibus et poeticis floribus illustrabantur et perpoliebantur, ut, eo modo, poematum suavitate et dulcedine restituerent damnum, quod ex imminuta utilitate et usu in vita communi

ni erant passi. Non omnes vero eodem modo egerunt, sed alii aliam ingressi sunt viam. Hi enim breviores sententias, usui communi aptas, γνώμας, conscribebant, alii, fervore et aestu poëtico abrepti, hymnis et odis deorum proborumque hominum canebant virtutes, ut hisce alios homines ad eandem virtutem allicerent, adjectis pulcerrimis remunerationum, quas virtus consequitur, descriptionibus. Plane aliam denique viam iverunt poetae Scenici, in primis Tragici. Tragoedia, ortum suum debens festis et choris, quae in deorum, præsertim Bacchi, honorem celebrabantur, ex instituti ratione, cum religione, deorum cultu, morum emendatione et virtutis laudatione, arctissime erat conjuncta. Non mirum ideo est, neminem potuisse excellere in illa arte nisi eum, cujus animus omnibus virtutibus pateret, quique sponte sua se ipsum dignum judicaret, qui praecepta universo populo daret: atque ingenium doctrina excultum, et perpolitum philosophia, jungeret menti purae et castae imaginationi. Hinc triumviros tragoediae Græcae principes, quorum opera ad nos pervenerunt, videmus esse doctissimos philosophos, purissimas de divinis et humanis rebus sententias foventes et opiniones, ita, ut horum scripta quasi fons sint, unde normam petere poterant Graeci omnium actionum, et quibus omnes fortunae humanae vicissitudines ferre et pati docerentur. Alia quoque adest causa, quare tragici in pri-

primis poëtae in tractanda philosophia et obscurissima præsertim ejus parte, ut, de Diis eorumque natura, et de animo ejusque statu post mortem, sibi placerent et indulgerent. Posteaquam philosophi, a Thaletis præsertim tempore, magis se per Graeciam disperserant, Athenisque in primis alii aliam doctrinam docuerant, opiniones illae puriores, quae ab iis spargebantur, magis ad plebem pervenerant et indoctam multitudinem quam antea, quum non nisi paucissimi, iique plerumque solitarii homines iis essent imbuti. Sed, quum plurimum hae sententiæ vulgarem Græcorum religionem plane evertere viderentur, multaeque praeterea opiniones, partim recte, sed plerumque falso, philosophis adscriberentur impiae et maxime nocentes; populus, in primis a sacerdotibus incitatus, quorum auctoritas et potentia arctissime cum diis illis vulgaribus Græcorum erat conjuncta; populus, inquam, omnes philosophos odio coepit prosequi, ita ut periculo non amplius vacaret libere sententiam dicere, si haec multum a popularibus fabulis abhorrebat. Quae cum ita essent, tragicus poeta multum, prae aliis, libertatis sibi poterat sumere. Proprio quodam jure, ad tragoediam pertinere videbatur disquisitio, de regimine Deorum, de vi, quam in hominum actiones exerceret fatum sive necessitas, deque omnibus iis locis, de quibus philosophorum placita maxime inter se discre-

pa-

pabant. Pulcra profecta occasio, eo modo, tragicis dabatur, sententias suas proferendi: neque tamen in populi odium, hac re, incurrebant. Nam, cum poëta non ipse coram populo prodiret, sed personas introduceret, quarum apud omnes spectatores maxima erat veneratio, heroas patrios, vel qui postea in deos essent relati; sub horum heroum persona, novos et inauditos sermones poëta proferre poterat: et quae, si poëta ex sua dixisset persona, cum indignatione respuissent, ipsumque poetam condemnassent, ex heroum deorumque ore, cum veneratione audiebant et admirabantur. Hinc apud tragicos, quorum scripta aetatem tulerunt, frequens de rebus divinis et absconditis est mentio, frequens de diis Græcis patriis est dubitatio, frequens quoque propositio meliorum opinionum. Quodsi apud Aeschylum saepe illud occurrit, nonnumquam apud Sophoclem, Euripidis tragoediæ scatent talibus sententiis: integræ ejus tragoediæ conscriptæ fuere, ad philosophiae principia propaganda, ita, ut merito hic Philosophus scenicus sit dictus. Neque peculiaris defuit ratio, quare Euripides præsertim philosophiam eligeret, ut ea tragoediis suis admirationem et plausum theatri conciliaret. Natus erat tempore quo Graecia, quae summum potentiae gradum adscenderat, literis et omnibus liberalioribus artibus in primis studebat, et quo Athenae, Euripidis patria, sub Periclis administratione, ad tam altum gloriae fastigium pervenerant, ut inter

ter reliquas Graeciae civitates eminerent: *velut inter stellas luna minores.*

Philosophia in primis et poësis, in ea urbe colebantur, uti apud nullam aliam gentem. Illi Euripides se plane dederat juvenis: at intelligens, quod supra diximus, liberum non esse cuivis aperire sententias, quae a populi recepta opinione recedebant; (recedebant autem ejus sententiae quam plurimum) videns Anaxagoram, magistrum suum, vix Periclis auctoritate certae neci ereptum; comperit suo tempore Athenis non amplius licere, palam proferre sententias de philosophia, nisi ei, qui paratus esset mortem pro placitis suis obire. Cum vero ob eam causam se ad scenam verteret, (4) factum est, ut ingenii cupiditati frena inmitteret, et jam securus scenae præsidio in hominum celebritatem produceret ea, quae in scholis et privatorum domibus tradere pene nefas haberetur. In hujus igitur philosophia ex scriptis eruenda et explicanda sequens versabitur disputatio: ad quam priusquam accedamus, nonnulla restant monenda.

Neminem certe fugiet difficultas, qua in primis talis disquisitio premitur, quum de sententiis poëtae scenici erit dicendum. Quae enim poëtam adversus popularium invidiam tuebantur, cum suas ipsius sententias confunderet

(4) Propter memoratam causam Euripidem se ad tragicam convertisse artem refert Suidas in *Eurip.* ἐπὶ τραγῳδίαν δὲ ἐτράπη, τὸν Ἀναξαγόραν ἰδὼν ὑποστάντα κινδύνους, δι' ἅπερ εἰσῆξε δόγματα.

ret cum heroum deorumque persona, ita ut, quid hi sensissent, quaenam poetae esset opinio, difficile esset inquisitu; haec eadem nobis insignem pariunt molestiam, et difficultatem. Nam ante omnia nobis esse separandas opiniones, quas tragoediae auctor personis tribuere debebat, ut cuique personae redderet convenientia, ab iis quas, ut genio indulgeret, singulis obtruserit, facile intelligitur. At profecto si facile est scire, quid sit faciendum, quam difficillimum est rationem et certam invenire normam, secundum quam illa distinctio rite a nobis fieri queat. Quod quo melius intelligatur, paucis nunc addam, ad quae nobis attendendum esse videatur.

In primis ergo veniet in censum, quænam sit persona, cui notabilem sententiam tribuit poeta, et, si omnia notae indoli talis personae conveniunt, etiamsi offendamus a vulgo aberrantes sententias, non eas continuo philosophico poetae ingenio tribuemus, sed e fabulae ratione explicabimus. Multum quoque differt, num malo et improbo homini, quemque ut talem nobis proponit poeta, an vero bono et probo, quaedam tribuantur. Sic quum Eteocles in Phoenissis vs. 527. maxime famosa illa utitur sententia:

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν· τἆλλα δ'εὐσεβεῖν χρεών.

poëtae non illud possumus tribuere, quasi suam ipsius expresserit sententiam. Egregie faciunt hi versus, ad Eteoclis ingenium pingendum, ideo-

que

que recte iis usus fuisse poëta erit dicendus, neque aliud praeterea habuisse consilium. Attendendum vero maxime erit ad ea quae chorus profert. Hic enim quum plerumque de rebus loquatur, quae non arcte cum fabulae argumento cohaerent, si cohaerent omnino, poëtae occasionem praebere poterat, de variis argumentis sententiam aperiendi, ideoque uberrimus est fons, ex quo vera illius placita et philosophiam hauriamus. Quae praeterea fabularum heroes, virtutibus et egregiis animi dotibus insignes, proferunt, ad poëtae philosophiam explicandam possunt inservire, cum veri sit simillimum, eum horum ore fuisse usum, quos populus suspiciebat et venerabatur, ut sua placita in lucem ederet. Sed si jam fragmenta ex Euripidis fabulis collegerimus, et ex iis philosophiam poëtae velimus explicare, in primis tamen erit attendendum ad summam, quam ex nonnullis tragoediis efficere possumus. Ex argumento enim et tractatione totius fabulae magis poëtae sententia apparebit, quam ex fragmentis hinc inde decerptis, præsertim si quaestio erit de administratione mundi, et de partibus quas Deus in calamitatibus et felicitate habet, quae vitae contingunt humanae. In quacunque præterea versemur disciplina, si explicare volumus placita discipuli, non nisi jucundissima simul et utilissima potest esse cognitio placitorum præceptoris: quod ne a nobis negligatur, age paucis de Euripidis in philosophia magistris videamus. Ver-

Verbo jam monuimus eum Anaxagora Clazomenio usum fuisse magistro. Hic enim Athenis philosophiam docens, magnam famam consecutus erat, ita ut, qui aliquam huic disciplinæ operam navaret, eo magistro uteretur. Hujus vero disciplina in primis versabatur in rebus physicis et iis, quae eo tempore hoc nomine quoque comprehendebantur, nunc vero metaphysicorum nomine celebrantur. De Deo, ejusque natura et potentia, de ortu et conservatione mundi, de vi quam in homines exercent Deus et fatum, de animo ejusque statu; tales erant quaestiones, quas Anaxagoras magno audientium plausu tractare erat solitus. Hujus viri sententias plerumque Euripidem secutum esse, quum credamus et nobis videamur illud nos posse probare, (5) Anaxagoræ placita cu-

(5) Si testimoniis veterum res decerni posset, ea quoque non desunt de ea re. At si rem non conficere possunt, magnam saltem probabilitatis speciem, observationibus nostris addere poterunt. Sic Heraclidi Pont. in *Allegor. Hom.* in Thom. Galei *Opusc. mythol.* p. 440. dicitur Euripides τοῖς κλαζομενίοις δόγμασιν ἑπόμενος. Eum etiam ita Anaxagorae studuisse, ut hunc quoque in minutis rebus et quae ad corporis habitum pertinerent, sit secutus, testatur Alexander Aetolus apud A. Gellium *N. A.* XV. 20. hisce versibus.

Ὁ δὲ Ἀναξαγόρου τρόφιμος ἀρχαίου
Στρυφνὸς μὲν ἐμοί γε ἔοικε προςειπεῖν
Καὶ μισογέλως, καὶ τωθάζειν οὐδὲ παρ' οἶνον
Μεμαθηκώς· ἀλλ' ὅ, τι καὶ γράψαι, τοῦτ' ἂν
Μέλιτος καὶ σειρήνων ἐτετεύχει.

A-

cujusvis capitis initio breviter praemittemus, ut ad ea Euripidis sententiam examinemus, et videamus, quid huic debeat, quid sibi ipsi.

Sed si in Physicis magnam vim in Euripidis philosophiam exercuerit Anaxagoras, in ejus parte morali magis ille ab hoc abiisse videtur, vel potius Anaxagoras de hac philosophiæ parte, quae ad quotidianum apta esset usum, nihil vel parum videtur tradidisse. In morali igitur philosophiae parte, Euripidem nullius ductum sequentem videbimus, nisi dicamus, amicitiam et conjunctionem, quae inter eum et Socratem obtinebat, magnopere valuisse, ad ejus opiniones hac de re puras reddendas et veras. Offendemus plures sententias, quae profecto conveniunt iis, quae Socrates docebat; quare hanc vim non possumus negare, quamquam Socratem Euripidis magistrum fuisse, non est vero simile, quippe tredecim annis natu majoris.

In duas vero disputatio partes sponte dividitur. Quarum prima agetur de Physica, quae pars gravissimas de Diis, de animo humano, de rerum ortu et interitu continet quaestiones: altera de ea, ad vitae usum magis apta, disquiret philosophia, quae moribus emendandis, vitaeque bene agendae in primis inservit, ideoque moralis philosophia vocatur. —

PARS

Anaxagoram autem numquam risisse narrat Aelianus *Var. Hist.* VIII. 13.

PARS PRIMA.

De Philosophia Physica.

CAPUT I.

De Diis et natura Divina.

Difficultates, quas in exponendis Euripidis sententiis philosophicis nobis obviam fore, in Introductione significavimus, maximam partem ad caput pertinent, de Diis eorumque natura. Cum enim generatim sit attendendum, ne poëtam confundamus cum personis, quas loquentes nobis ob oculos ponit, et ne injustum, eo modo, feramus judicium; hoc caput propriis suis laborat difficultatibus et molestiis. Philosophus, qui sua placita aliis personis tribuit, quas loquentes inducit, propositum non tantum habet, lectores docendi res philosophas, sed etiam illud præ se fert, secus quam tragicus poëta. Et haec difficultas, totum nostrum premit argumentum.

Peculiari vero prudentia nobis opus est et circumspectione, si veram Euripidis sententiam de Diis eruere volumus, utpote poëtae tragici, qui Athenis fabulas doceret.

Nam

Nam quamquam eo, quo vixit, tempore haud pauci erant in illa urbe, qui puriorem, de deorum cultu, doctrinam recepissent, riteque de vanitate et puerilitate judicarent theologiae receptae, quae Homero et Hesiodo præsertim debebatur; hi tamen dii innumerabiles, patrii erant dii et habebantur, festa in eorum honorem civitas celebrabat, templa eorum, certis diebus, publice adibantur, dona et vota publice iis fiebant, magistratus peculiares erant, quorum cura erat attendere, ut rite haec dona et pecuniae, quae ex votis profluebant, administrarentur, et in deorum usum converterentur: verbo, populus Atheniensis hos deos veros credebat, et superstitionem suam veram ducebat esse religionem. Periculi plenum igitur erat opus, de his diis, homini sana mente et recto judicio praedito, in publico disserere, et disputare de theologia.

Si enim quis dubia moveret, contra haec numina, eorum mores, uti proponebantur, carperet, vanitatem et futilitatem doceret cultus, qui iis tribuebatur, generatim aedificium illud theologiae Graecae nullis solidis fundamentis superstructum, sed antiquitate et avita traditione sacratum, quateret aut labefactare conaretur, impietatis crimen vix poterat effugere; quae apud Athenienses gravissima erat accusatio, quae non nisi morte poterat expiari. Huic autem Deorum cultui qui plane se deditum pronuntiasset, hunc in scriptis ubique pro-

po-

posuisset, huic omni modo se favere ostendisset, nullo modo justam indignationem aufugisset eorum, quibus erat pater aut equus aut res. Itaque ab omni parte instabat periculum: ab hac, ne apud eos, quorum sententia unice aestimanda esset, nulla esset gloria, sed potius dedignatio: ab illa, ne a populo irato, grata victima ad averruncanda mala, diis voveretur scriptor, qui fidem et religionem publicam ausus fuisset impugnare et despicere. Negari non potest, philosophos jam antiquissimos, a primis temporibus, quo hisce studiis operam navare instituerunt, placita docuisse de Diis, quae omnino a recepta doctrina essent aliena, et prorsus ei repugnarent. Nam Thales, ne de theologis, qui eum antecesserunt, loquamur, Thales et qui eum secuti sunt, naturam divinam investigantes et perscrutantes, puriorem et ab hisce nugis purgatam doctrinam jam docuerant; sed Philosophi hi, paucis discipulis ea tradebant, sua placita non scriptis, vel saltem non nisi parce, propagabant, et, cum ceteroquin deos populares colerent, populi oculos et mentem in se non convertebant. Et ne haec quidem popularium errorum observantia, tutos et securos semper eos reddidisse, exempla Anaxagoræ, et Socratis præsertim, nos docent. Quanta igitur prudentia agendum fuit Euripidi, qui, philosopho ingenio natus, neque, ut videtur, a natura satis quieto animo præditus, ut quæ sentiret posset silere, tragicam colebat ar-

tem,

tem, adeoque populo universo et infimae plebi carmina sua proponebat. Quam caute inter duo, quae memoravimus, scopula ei erat navigandum, ne huic vel illi illideretur, ne gloriam et famam, aut se ipsum perderet. Bene igitur nobis ejus scripta sunt intuenda, bene ponderanda ejus verba, si ad justum, de ejus sententia, judicium volumus pervenire, neque plane inficias ire possumus, nonnumquam fore, ut declarandum nobis sit, vel Euripidem ipsum non accuratam habuisse nonnullarum partium doctrinae de Diis notionem, vel saltem, eum in tragoediis eam prodere non habuisse ratum. Quicquid horum sit, in nonnullis locis eum vacillasse, vereor ne concedere debeamus.

Diximus Euripidem fuisse Anaxagorae in Physicis discipulum, ita ut in disquisitione sententiarum Tragici, non negligendae videantur hujus philosophi sententiae. Itaque, uti quoque nos facturos esse in Introductione declaravimus, breviter præmittamus Anaxagorae de Divina natura sententiam, et cum ea Euripidis placita conferamus.

Anaxagoras, « qui, primus summi et veri Dei « inter Græcos sacerdos, frustra hactenus quae« sitam veritatem, ex intimo naturæ sacrario in « lucem proferre ausus est," (1) Deum statuit ae-

(1) Verba sunt Cl. Meinersii in *historia doctrinae de vero Deo.* P. II. Sect. V. p. m. 360.

aeternum, purum, qui sibi ipse ortum debebat, ideoque numquam natum, qui mundum, quem redegerat, disposuerat, ornaverat, conservat et regit; hunc autem Deum ex intuitione mundi cognosci debere et posse. Deum hunc purum, aeternum esse statuit, eumque νοῦν mentem vocavit. Simplicem et omnium rerum subtilissimum eum dixit, et hunc νοῦν, hanc mentem, a materia esse segregatam, cui imperat et motum vitamque dederat (2). Infinita et omnium rerum potentissima haec mens porro erat, neque umquam cessatura a gubernatione mundi, nam ὅποια ἔμελλεν ἔσεσθαι, καὶ ὅποια ἦν, καὶ ὅσα νῦν ἐστι, καὶ ὅποια ἔσται, πάντα διεκόσμησε νοῦς (3). Magnum in hac philosophiae parte, Anaxagoram inter et eos, qui eum praecesserant fuit discrimen, quare recte primus verum Deum agnovisse dicitur.

Thales enim, eumque secuti (4), mentem divinam, cum materia complicatam, nec per se sub-

---

(2) Ἀρχὴ πάντων ὁ νοῦς καὶ οὗτος αἴτιος καὶ κύριος τῶν ὅλων, καὶ παρέχει τάξιν τοῖς ἀτάκτοις καὶ κίνησιν τοῖς ἀκινήτοις, καὶ διάκρισιν τοῖς μεμιγμένοις, καὶ κόσμον τοῖς ἀκόσμοις. Anaxag. apud Hermiam in *Irris. Gent.* p. 176 cit. apud Meiners l. c. p. 362. Cf. Arist. *de Anima* I. 2.

(3) Anaxagoras apud Herm. l. c.

(4) Quamquam enim non rite de Anaximandri et Anaximenis placitis constet, videntur tamen aut nil aut parum a Thalete dissensisse. Cf. Wyttenb. l. c. p. 107.

subsistentem Deum, sive vim quae omnes res effecerit, informaverant, mentem cum materia ita conjunxerant, ut hanc ipsam, Deum eos pronuntiasse, facile dixeris (5). Plane vero aliter Anaxagoras, qui, ut diximus, recte eam mentem a materia segregavit et purum aeternumque Deum statuit. Non inficete illud paucis verbis explicuit Stobaeus: Thales νοῦν τοῦ κόσμου τὸν θεὸν dixit, Anaxagoras vero τὸν θεὸν νοῦν κοσμοποιόν (6). Deum mundum regentem omnipotentem esse, necessaria erat sequela, quae ex proposita doctrina sequi debebat: sensit quoque illud Anaxagoras, quamquam in una difficultate haesit, quae inhaerens erat ejus philosophiae. Nam, ne cogeretur dicere, nonnulla ex nihilo esse facta, quod omnibus veteribus philosophis ridiculum videbatur, quorum omnium placitum erat ex ni-

(5) Hanc animam enim per se non subsistere, secundum Thaletem, recte animadvertit Wyttenbachius, in Censura libri Cl. Meiners *Geschichte des Ursprungs — der Wissensch. in Griechl. vnd Rom.* Bibl. Crit. P. VIII. p. 106.

(6) Stobaeus *Ecl. Phys.* Lib. I. c. 3. n°. 28. p. 5. *sq.* Ed. Heer. Cf. Valcken. *Diatr.* p. 40. Κοσμοποιὸς igitur sic erit intelligendum, ut sit, *qui mundum, uti nunc existit, redegit et formavit:* materiam enim Anaxagorae aeternam fuisse, postea videbimus. ποιέω, significatione fabricandi ex materia existente, invenitur saepius, item in simili compositione, ut ἀνδριαντοποιὸς, σιτοποιὸς cet.

nihilo nihil posse oriri (7); ne igitur illud concederet, materiam ὕλην aeternam finxit, tanta tamque infinita elementorum copia instructam, ut omnium corporum principia ea continerentur. Cum vero, eo modo, rerum qualitates, non a Deo, sive νοῦ, essent ortae, is neque has qualitates tollere neque alias addere poterat, sed tantum eas formare, secernere, agitare. Quoties igitur de corporum natura disputabat, ei ad necessitatem, ἀνάγκην, quandam erat recurrendum, ad insitam naturam rerum. Quod cum multi non bene perspicerent nata est opinio, quasi omnia ad necessitatem, fatum, ἀνάγκην, referret, et tum demum ad Deum confugeret, quando sine Deo, ex machina qui dicitur, nodum solvere non posset (8). Quod concedere nos profecto non possumus, nisi antea pateat eum duplicem causam efficientem statuisse, alteram mentem νοῦν, ἀνάγκην alteram: quod plane abhorret ab omnibus quae

(7) Vid. Lucretius L. I. 151.
Nullam rem ex nihilo gigni divinitus umquam.
Add. Persius *Sat.* III. 84.

(8) Inter eos qui Anaxagoram hoc nomine accusarunt, in primis sunt nominandi, Aristoteles et Plato. Ille in *Metaph.* I. 4. ubi haec habet: Ἀναξαγόρας τε γὰρ μηχανῇ χρῆται τῷ νῷ πρὸς τὴν κοσμοποιΐαν, καὶ ὅταν ἀπορήσῃ διὰ τίν' αἰτίαν ἐξ ἀνάγκης ἐστὶ, τότε ἕλκει αὐτόν. ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις πάντα μᾶλλον αἰτιᾶται τῶν γινομένων ἢ νοῦν. Plato in Phaedone p. 67. Ed. Wyttenb. ad quem locum plura et Platonis et aliorum loca attulit Wyttenb. p. 258 *sq.*

quae de Anaxagora ejusque placitis traduntur (9).

Haec præmonita sufficiant ad cognoscenda praecipua placita Anaxagoræ, de Diis eorumque natura, quantum eorum cognitio ad Euripidem explicandum necessaria est, et jam ad hujus ipsius nos vertamus opiniones.

Euripidem puriorem sententiam de Diis habuisse, quam multos aequalium suorum, ex omnibus ejus tragoediis, undique apparet. Nam cum nimis fortasse cuperet abstrusissimas de religione et politica arte quaestiones in scena agitare, passim in ejus operibus inveniuntur sententiae ejus specimina. Audacter multis locis, in quavis fere tragoedia, receptam fidem impugnat, Deos Græcos vituperat, iis insultat; et cujus decimam partem Athenienses non tulissent, si ex sua illa prodidisset persona, hoc sub persona herois, vel ipsorum non numquam Deorum, summa admiratione accipiebant. Poëtarum commenta esse ea quae de Diis narrabantur, non uno loco significavit. Sic Herculem facit dicentem, se non credere Deos amare connubia illegitima, neque se umquam crediturum esse, alterum alterius esse dominum: haec enim poëtarum miseras esse fabulas. (10) Simili modo cho-

(9) Dilucide illud exposuisse videtur Meiners l. l. p. 365 *sq.*

(10) Ἀοίδων οἵδε δύστηνοι λόγοι. *Herc Fur.* 1345. Add. fragm. Belleroph. εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶν θεοί. Exc. Grot. p. 378. Cf. Valcken. *Diatr.* p. 37.

chorus in Iphigenia in Aul. dubitationem proponit de fabula Jovis in cygnum mutati, ut Ledam stupraret, hasque narrationes intempestive et temere ad populum allatas pronuntiat (11). Neque Euripides neglexit populum causam docere et fontem, unde hae fabulae manaverint. Numquam ego credam, inquit, vel dicentem facit Iphigeniam, Deos delectatos fuisse esu infantis, in Tantali epulis, sed barbarae gentes, quia sua natura sunt homicidae, suam malitiam Diis adscripserunt (12). Quam recte illud animadvertit Euripides: quod si plures eo tempore idem sensisse quis dicat, animadvertat, magnam audaciam requiri in eo, qui hanc versuum suorum vim esse putet, ut res, a vulgo sacratissimas habitas, derideat. Si causam harum fabularum populo aperuit, non oblitus est effectus exponere, cujus luculentum in Ione exstat documentum. Ion, quum sibi certum haberet, Apollinem virginem vitiasse,

---

(11) *Iph. in Aul.* 795 *sq.*

Εἰ δὴ φάτις ἔτυμος,
ὡς ἔτυχε Λήδ' ὄρνιθ' ἰπταμένῳ,
Διὸς ὅτ' ἀλλάχθη δέμας·
εἴτ' ἐν δέλτοις Πιερίσι
μῦθοι τάδ' εἰς ἀνθρώπους
ἤνεγκαν παρὰ καιρὸν, ἄλλως.

(12) *Iph. in Taur.* 385 *sqq.* Add. Troad. 981. ubi Hecuba exclamat. μὴ 'μαθεῖς ποίει θεὰς, τὸ σὸν κακὸν κοσμοῦσα. Cf. *Androm.* 107. *Hippol.* vs. 120.

se, cui rei fidem diu negaverat, (13) exclamat, non convenire Deos homines punire ob facinora, cum ipsi majora vel aequalia perpetrarent, neque homines esse accusandos, qui Deos sequerentur (14). Nulla ratione melius perniciosos effectus theologiæ Græcæ proponere poterat, quam exponendo ratiocinio, quod recte ex talibus duceretur principiis. (15). Homines vero a natura satis sunt proni, ut suam minuant culpam, sibique ipsi faciant fucum, ita ut non opus sit, iis exempla proponere Deorum malorum, irascibilium, et in omnia ruentium scelera. Ne Græci vero consequentiam hanc prætervidérent, alio loco in eadem fabula expresse dicit, si haec de Diis crederentur, filiam vitiatam semper Deo culpam tribuere posse, et ab hoc compressam se fingentem, honore loco poena vel dedecore affici (16). Hisce, quos memoravimus, aliisque locis contemtum Deorum palam præ se tulit Euripides. Nec tamen in eo tantum substitit

---

(13) *Jon.* vs. 339. Φοίβῳ μιγῆναί φησί τις φίλων ἐμῶν.

Jon. Φοίβῳ γυνὴ γεγῶσα; μὴ λέγ' ὦ ξένη.
Cr. Καὶ παῖδά γ' ἔτεκε τῷ θεῷ λάθρᾳ πατρὸς.
Jon. Οὐκ ἔστιν· ἀνδρὸς ἀδικίαν αἰσχύνεται.

(14) Ibid. vs. 442.

(15) Suo, id est comico more, idem docuit Terentius in *Eunucho* III. 5. 43. ad quem locum, nostrum, de quo agimus, Jonis locum, citare non neglexit Doctissimus F. Lindenbrogius.

(16) Ibid. 1525.

tit, ut declararet, quibus Diis fidem non haberet, sed etiam pluribus locis suam ipsius declaravit sententiam, de qua nunc videamus.

Videtur nonnumquam Euripides, uti multi qui receptam fidem deserentes, meliorem, aliam certe, viam inire conantur, non ab omni dubitatione et vacillatione liberum fuisse, quum animo volveret quaestionem de Diis, ideoque sibi ipse non constitisse. Anaxagoream philosophiam sequi eum voluisse non negare possumus, illam semper eum esse secutum vehementer dubitamus, sive ipse e consulto eam deseruerit, sive non recte eam nonnumquam intellexerit. Posteriorem sententiam defendit satisque acriter et vehementer in Euripidem protulit, V. Cl. Bouterweckius (17), cui tamen ne plane accedamus multa obstant. Ut vero appareat quid nobis videatur, præcipuas quasdam Euripidis sententias ad examen vocemus.

Animo ejus profecto inhaesit Anaxagoræ, quod supra protulimus, placitum, Deum esse unum, *αὐτοφυῆν*, infinitum, nullius rei indigentem, quique mente pura consistens mundum regit, conservat, ornat. Multa in ejus tragoediis sublimia exstant loca, quorum nonnulla subjiciemus.

Quomodo quis puriorem de Diis sententiam proferet, rationis lumine tantum ductus, ea

quam

(17) In disputatione *de philosophia Euripidea*, inserta Tom. IV., Comment. Recent. Societ. Götting.

quam hi versus ex deperdita fabula Pirithoo continent (18).

Σὲ, τὸν αὐτοφυῆ, τὸν ἐν αἰθερίῳ
Ῥύμβῳ πάντων φύσιν ἐμπλέξανθ᾽,
Ὃν περὶ μὲν φῶς, περὶ δ᾽ ὀρφναία
Νὺξ αἰολόχρως, ἄκριτός τ᾽ ἄστρων
Ὄχλος ἐνδελεχῶς ἀμφιχορεύει.

Nisi dicas sublimiora etiam esse, quae sequenti cantico continentur:

Σοὶ, τῷ πάντων μεδέοντι χοὴν,
Πέλανόν τε φέρω, Ζεὺς εἴτ᾽ Ἀΐδης
Ὀνομαζόμενος στέργεις· σὺ δέ μοι
Θυσίαν ἄπυρον παγκαρπείας
Δέξαι πλήρη προχυθεῖσαν.
Σὺ γὰρ, ἔν τε θεοῖς τοῖς οὐρανίδαις
Σκῆπτρον τὸ Διὸς μεταχειρίζων,
Χθονίων θ᾽ Ἅιδῃ μετέχεις ἀρχῆς·
Πέμψον μὲν φῶς ψυχᾶς ἀνέρων
Τοῖς βουλομένοις ἄθλους προμαθεῖν,
Πόθεν ἔβλαστον, τίς ῥίζα κακῶν,
Τίνα δεῖ μακάρων ἐκθυσαμένοις
Εὑρεῖν μόχθων ἀνάπαυλαν. (19)

In hoc enim omnino accedit, ad purissimas de Deo notiones, neque ab omni verisimilitudine alienum est, Euripidem hisce versibus vulgasse Bac-

(18) Exstat. apud Clement. Alex. *Strom.* V. p. 603. C. In Exc. Grot. p. 398. Recensionem secutus sunt Valckenaerii *Diatr.* p. 39.

(19) Apud Clem. Alex. *Strom.* I. p. 531. D. Grot. *Exc.* p. 431. Valck. *Diatr.* p. 43.

Bacchi Cererisque sacra, uti ad alium locum observavit Bouterweckius (20).

Deum nullius rei indigentem dixit Euripides, in tragoedia superstite Hercule Furente, ubi Hercules, postquam commenta poëtarum explosit, (vid. supra p. 21) ait.

Δεῖται γὰρ ὁ θεὸς, εἴπερ ἐστ' ὄντως θεὸς,
Οὐδενός.

Infinitum Deum se credere significavit et omnipotentem, quum rogationi quemnam Deum quis deberet cogitare, egregie respondet: Talem, qui, omnia videns, ipse non videtur (21). Aeternum illum Deum animum esse, neque tamquam corpus domo posse includi, eosdem Græcos, quorum urbes refertæ erant templis, sive Deorum habitaculis, hisce versibus docuit (22):

Ποῖος δ' ἂν οἶκος, τεκτόνων πλασθεὶς ὕπο
Δέμας τὸ θεῖον περιβάλλοι τοίχων πτυχαῖς;

Cui non, haec legenti, statim cogitatio subit convenientiæ, quae inter hos versus et nobilissimum illud sacrae scripturæ effatum intercedit, quod

---

(20) Vide eum l. l. p. 9.

(21) *Θεὸν δὲ ποῖον εἰπέ μοι νοητέον;*
Τὸν πάνθ' ὁρῶντα κ' αὐτὸν οὐχ ὁρώμενον.
Exstant hi versus apud Clementem Alex. *Protrect.* p. 45. B.

(22) Apud eundem Clementem *Strom.* V. p. 584 B. qui, comparans hos versus cum Jesaiae loco, quem in textu citavimus, Euripidem *παγκάλως συνᾴδειν τούτοις*, dicit.

quod iisdem fere verbis conceptum est. «'Ο οὐρανός μοι θρόνος, ἡ δὲ γῆ ὑποπόδιον τῶν ποδῶν μου· ποῖον οἶκον οἰκοδομήσετέ μοι, λέγει Κύριος. (23). Profecto minuitur miratio, qua videmus Patres Ecclesiæ, ex antiquis scriptoribus eruere voluisse, vaticinia de Christiana fide (24), si apud eos sententias invenimus, quæ Christianum ornarent, si illas protulisset.

Ex dictis confici mihi videtur, Euripidem puras de Divina natura habuisse opinicnes, easque, magnam partem, ex Anaxagoræ disciplina hausisse; at vero non semper firmiter eum hisce stetisse, quamquam inviti, concedere debemus. Non firma satis mente videtur fuisse præditus, ut dubitando de nonnullis rebus, non eo usque traheretur, ut dubitare inciperet de omnibus, scepticumque fere se probaret. Neque, his dubitationibus, eum religioni, et bonis de Diis opinionibus populo inculcandis nocuisse, possumus negare. Cum enim in Bacchis chorum dicentem facit: O Divine numen, quodcumque tandem sis (25), vel Herculem: Jupiter, quicunque tandem est Jupiter, me perdidit (26); hoc omnino in eo reprehendendum judicamus. Præsertim, cum aliquoties

(23) Vid. Jesaia LXVI. 1. et *Act. Apost.* VII. 49.

(24) Sic Clemens, ex fragmento modo p. 25. laudato effici dicit Euripidem, se ipsum latens, Deum Patrem et Filium, celebrasse.

(25) *Bacch.* vs. 892.

(26) *Herc. Fur.* 1320.

ties indulsisse sibi videatur Euripides, in sententiis talibus ferendis, quæ, non semper personis loquentibus congruentes, inutiliter populi animos, vel irritare poterant, vel a Deorum qualicunque demum cultu alienos reddere. Sic quoque traditum est, eum tragoediam suam Menalippen orsum fuisse, ab hoc versu:

Ζεὺς ὅςτις ἐστὶν, οὐ γὰρ οἶδα πλὴν λόγῳ Κλύων.

Quem vero, ne impietatis accusaretur, mutavit et in cujus locum hunc substituit:

Ζεὺς, ὡς λέλεκται ἀληθείας ὕπο. (27)

Hanc vero tragoediam eo consilio dicitur conscripsisse, ut vulgaret opiniones Anaxagorae, de rebus physicis et divinis, ita ut haec quoque probet, eum re vera, in hisce philosophiae partibus, hunc virum fuisse secutum, quod fere negare videtur Bouterweckius (28). Hic enim, ne Euripidem quidem intellexisse illius philosophiam innuit, et credidisse, se, cum vagos sermones proferret de Diis et anima humana, philosophum, eumque Anaxagoreum, habitum iri. Huic opinioni confirmandæ, in primis usus est sen-

---

(27) Prior versus exstat apud Lucianum in *Jove Trag.* p. 689. alter apud Aristoph. *Ran.* vs. 1244 Ed. Brunck. ubi vid. Schol. Historiam quoque narrat Plutarch. in *Erot.* p. 756. C.

(28) Opere laud. p. 10.

sententia Hecubae in Troadibus vs. 885, ubi haec exclamat.

"Ὅστις ποτ' εἶ σὺ δυστόπαστος εἰδέναι
Ζεύς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεως, εἴτε νοῦς βροτῶν.

Quae vana, et ab Anaxagoræ opinionibus aliena pronuntiat: quae tamen, non multum ab iis recedere fortasse probare possumus. Vidimus supra, Anaxagoram ἀνάγκην adhibuisse, non ut mundum formaret, sed ut secundum hanc ἀνάγκην Deus mundum disponeret. Haec duo vero a summis philosophis, uti Aristotele et Platone, quodammodo inter se confusa fuisse, monuimus. Itaque, etiamsi Euripides non recte Anaxagoram cepisset, illud magno vitio ei verti non debebat, uti a Cl. Bouterweckio factum est, cum tales in errore socios haberet. Sed mihi Euripides hoc casu non multum a recto abfuisse videtur. Nam Hecuba in summo dolore, certior facta consilii Menelai interficiendi Helenam, gaudio tota perfunditur, et celebrat providentiae occultas vias, qua quisque suorum laborum praemium ferat, vel poenam. Nunc Iovem δυστόπαστον εἰδέναι alloquitur et invocat, quem hominum mens nequit pervestigare, et de quo igitur dubitari potest, num sit ἀνάγκη φύσεως, an νοῦς βρτῶν. Duo haec erant placita praecipua Anaxagorae, νοῦν mundum ordinasse, ἀνάγκην, moderasse hanc ordinationem, et normam ejus dedisse; ita ut utriusque, in mundo explicando, debeatur haberi ratio. Si dubitationem carpsisset Bouterweckius, ei concedere de-

be-

beremus, melius poëtam a talibus dubiis abstinere. Sed, etiamsi concedere coacti essemus, Euripidem, hoc in loco, de ἀνάγκη cum Aristotele et Platone errasse, Bouterweckii judicium, nimis acre, planeque injustum esse, debemus pronuntiare. Quod ad objectionem pertinet ad postrema verba νοῦν βροτῶν, et quomodo Euripides Deum νοῦν βροτῶν potuerit dicere, de eo nondum agere possumus, sed post disputationem de animo humano, hac de re paucis videbimus.

Sed, inter omnia ea præclara, quae, de Euripidis philosophia, nobis ex scriptis ejus patent, miratio nonnumquam nos subit, unde hic tantus vir, nonnumquam crassam illam Græcorum theologiam et theogoniam, tam stricte sit secutus, etiam ubi minime opus esset, et ratio fabulæ illud non expresse postularet. Vitio illud verti ei posse patet, neque Bouterweckius neglexit illam inconstantiam notare, in cujus testimonium in primis excitat tragoediam illius Bacchas. Sequentia fortasse quaedam poterunt conferre, ad explicandam hanc inconstantiam, et ad rectum ferendum judicium, de vera Euripidis, hoc de loco, philosophia. Primo, numquam nos oportet oblivisci, Euripidem haudquaquam dogmata, philosophorum more qui scholas habent, docere potuisse. Tragoediarum scriptor quum esset, personas diversas loquentes induxit, quas secundum temporum rationes et mores aetatis, dispu-

putantes, agentes, philosophantes debuit proponere, secundum illud Horatii: (29)

. . . . Tristia moestum
Vultum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem lasciva, severum seria dictu,
. . . .
Intererit multum Davusne loquatur an Heros.

Hoc vero quum faceret, difficile ei erat, semper philosophemata sua, personarum loquentium ingenio adaptare, ac cavere, ne nonnumquam disparia essent verba et mens loquentium: verum enim vero, sæpius in hac parte lapsus est Euripides, quod ad tragicam attinet artem, ita ut plerumque, quae honori ducenda sunt philosopho, poëtae virtutes minuere et fabulae dispositionem vitiare videantur. (30) Multo vero difficilius, imo plane extra tragici potestatem positum erat, hisce personis, etiam locutiones non tribuere, quales generaliter ejus temporis hominibus conveniebant. Sic de multis Diis, de orco et inferis, de equis et curru solis, de malis geniis (*δαίμοσι*) vel Diis quæ hominnm vitam tristem et infelicem reddebant, eum loqui necesse erat; neque tamen ideo Euripidem sibi ipsum non constitisse, juste possumus affirmare. Præterea cavendum erat Euripidi, ne, si philosophum, (qui ab omni tempore, apud omnes popu-

(29) Art. Poet. 105.

(30) Observavimus jam Euripidem non semper sibi ipsum satis temperasse, neque assensum negare possumus iis quae Bouterw. *Op. laud.* p. 6. hac de re dixit.

pulos, a vulgo impius fere habitus est) se profiteretur, eandem iram in se converteret, quam Aeschylus, tragicus quoque poëta, vix effugerat, & cui Anaxagoras praeceptor ejus succubuerat, cum hic mysteria vulgasse diceretur, ille divinitatem solis crederetur negasse. Præsertim, cum ei nec frater esset, qui pro patria vulneratus, odium mulceret, nec amicus potens, uti Pericles, qui, si impietatis accusaretur, eum morti substraheret. (31) Neque tamen semper odium populi videtur effugisse, in primis cum ad provectiorem pervenerat aetatem, unde non a vero prorsus videtur alienum, illum Bacchas, quibus recepta religio omnino tuetur, conscripsisse, ut plane se purgaret, in omne reliquum vitae tempus, impietatis nomine, ex disciplina Anaxagorae et familiaritate Socratis, dictisque in tragoediis liberioribus contractam; quod tamen consilium nimis sero cepit, cum non nisi post mortem ejus actae videantur. Quo accepto facilem omnia in hac tragoedia habent explicationem (32).

CA-

(31) De Aeschylo et de ejus absolutione, propter gratiam fratris, qui fortiter pugnans manu esset obtruncatus vid. Aelianus *Var. Hist.* V. 19. add. Clem. Alex. Strom. II. p. 387. A. De Anaxagora vid. Diogen. Laert. in ejus vita p. m. 53. Ed. Henr. Steph. 1570. 8vo. Morte erat damnatus, sed Periclis amore poena mutata est in mulctam quinque talentorum et in exilium missus est.

(32) Vid. Musgrav. *Emend. in Eur.* p. 151. Ejusdem opinionis videtur Cl. Valckenaerius *Diatr.* p. 37. in fin.

CAPUT SECUNDUM.

De mundo ejusque origine.

Gravem apud philosophos, in primis antiquissimos, quaestionem aggredimur, cum de origine rerum creatarum loquendum nobis sit. Multae antiquitus, de ea re, ferebantur sententiae, multis difficultatibus et suis quaeque vitiis laborantes, cum quisque fere philosophus, aut qui philosophiam attingeret, suam peculiarem haberet sententiam.

Mundum ex nihilo creatum esse nullus veterum philosophorum umquam statuit, cum, uti Cap. I diximus, constans iis esset regula ex nihilo nil posse oriri, ac physica et ratione tantum ducibus, aliter statuere, plane contra rei naturam videatur et veritatem (1). Hinc variae excogitabantur rerum creatarum primae materiae; sic Thales aquam (2), Anaximander naturam quan-

(1) Vidd. quae de ea re animadvertit vir summus J. A. Ernestus ad Xenoph. *Mem. Socr.* I. 1. § 14. ubi exemplo sententiae Zenonis proposito, et repugnantiis, quae ex placito de aeternitate materiae oriantur, exclamat: »En certissimum argumentum rationis humanae, in rebus divinis, coecutientis, nisi eam lux divina collustret". Cf. Bayle *Dict. Hist. Crit.* voc. *Epicure*, nott. S et T.

(2) *Θαλῆς μὲν ὁ τῆς τοιαύτης ἀρχηγὸς φιλοσοφίας ὕδωρ φασὶν εἶναι.* Aristot. *Met.* I. 3. Cf. Cicero *Acad. Qu.* IV. 37. *De Nat. Deor.* I. 10.

quandam aqua subtiliorem aëre crassiorem (3), alii alias res pro principio rerum habebant creatarum. Euripides quoque, in tragoediis, plus semel allusit, ad eam philosophiae partem, quae de mundi origine agit: et, in hac quoque, Anaxagoram magistrum secutus videtur fuisse.

Hic enim non unum rerum statuerat esse principium, sed, ab omni tempore, elementa tot exstitisse rerum, quot omnium harum rerum multitudini instruendae satis essent, quae *ὁμοιομερίας* appellavit, sive partes aequales sibi congruentes, quas confusas, permixtas, sine ullo ordine jacentes finxit, vim insitam habentes, ut omnia constituere possent corpora, a se ipsae vero motum et ordinem nullo modo possent accipere (4). De significatione vocis *ὁμοιομερίας*, saepius est quaesitum. Videtur Anaxagoras illas partes hac voce appellasse, quia statuebat, cum nihil ex nihilo oriretur, in omnibus corporibus, omnium a-

(3) **Arist.** *de Coelo* III. 8.

(4) Ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν ἄπειρα καὶ πλῆθος καὶ σμικρότητα. Καὶ γὰρ τὸ σμικρὸν ἄπειρον ἦν. Καὶ πάντων ὁμοῦ ἐόντων οὐδὲν εὔδηλον ἦν, ὑπὸ σμικρότητος. Πάντα γὰρ ἀήρ τε καὶ αἰθὴρ κατεῖχεν, ἀμφότερα ἄπειρα ἐόντα. Ταῦτα γὰρ μέγιστα ἐνεστὶν ἐν τοῖς συμπάσι, καὶ πλήθει καὶ μεγέθει. **Anaxag.** apud **Simpl.** *in Phys. Ar.* fol. 33. p. 2. Cf. **Meiners** *Doct. de vero Deo* p. 361 *sqq.*

aliarum corporum partibus analogas existere partes. Nam, cum pane et aqua humanum corpus crescere, nutriri, et augeri videret, sequi illi videbatur, in pane et aqua esse partes, quae similes essent partibus corporis humani, in iis igitur partes ossium, carnis, sanguinis cet. exstare, unde caro, ossa et sanguis, in corpore humano nutrirentur et crescerent. Hasce igitur partes, per omnia fusas, propterea ὁμοιομερίας appellavit, quippe quae sibi similes ὁμοίας in quovis corpore offenderent: unde fluxit ejus placitum, *omnia esse in omnibus* (5). Hasce tandem Deum, νοῦν, disposuisse superiore vidimus capite.

Euripidis placita de iis rebus, Anaxagorae philosophiae convenire, jam animadvertit Diodorus Siculus qui Lib. I. p. 11, postquam exposuit sententias aliorum, qui unum naturae vultum in orbe statuerant, de Euripide dicit: ἔοικε δὲ περὶ τῆς τῶν ὅλων φύσεως οὐδ᾽ Εὐριπίδης διαφωνεῖν τοῖς προειρημένοις, μαθητὴς ὢν Ἀναξαγόρου τοῦ φυσικοῦ, et sequentes ex ejus Melanippe tragoedia versus excitat:

Ὡς

(5) Vid. Plutarch. *de placit. philos.* p. 876. C. D. qui copiose haec tractat. Add. Lucretius V. 833 *sqq.* Cf. Doct. J. de Vries in disp. *de Anaxag. philos. vita* belgice scripta in Bibl. v. Oude Letterk. Tom. I. p. 406 sqq. qui fuse de hoc loco agit, veterumque testimonia plura collegit.

Ὡς οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία·
Ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα,
Τίκτουσι πάντα κἀνέδωκαν εἰς φάος
Δένδρη, πετεινὰ, θῆρας, οὕς θ' ἅλμη τρέφει,
Γένος τε θνητῶν.

Hosce autem versus quin fecerit Euripides, ut Anaxagorae placita referret, nullum est dubium, propter versum qui eos praecedit. Hoc enim quum Menalippe dicit, sequentia non sibi esse tribuenda, cum a matre haec accepisset, *οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλ' ἐμῆς μάτρος πάρα*, diserto veterum testimonio docemur, eum hunc versum, in magistri sui Anaxagorae gratiam scripsisse (6). Illud quod dicit Euripides, *coelum et terram omnia protulisse, quum hi se invicem segregarentur*, primo adspectu, non plane Anaxagorae placitis conveniens alicui possit videri, quum hic omnia confusa a Deo ordinata, et ex *ὁμοιομερίαις* formata dixerit. Recte vero monuisse videtur summus Valckenaerius, eum omnino Anaxagorae addictum fuisse disciplinae, sed aliter poëtam res exornare, aliter eas a philosopho in schola exponi. Ipsa viri verba hic liceat subjicere, quae rem nobis conficere videntur. «Coelum au-«tem, sive Aethera et Terram, velut duo ele-
«men-

(6) Vid. Dionys. Halicarn. *de arte Rhetor.* VIII. 10. coll. cum IX. 11. Add. Valcken. *Diatr.* p. 46. ibique cit. — Totam tragoediam Menalippen Sapientem scriptam esse, ut Anaxagoram honoraret, ejusque placita vulgaret supra monuimus.

« menta consideravit, ex quibus omnia in hoc « universo nascerentur, et in quae omnia, cum « viderentur mori, in suum quodque resolverentur. Sed, ut carminum Poëta consuleret suavitati, atque ingenio elegantissimo morem gere« ret, veluti quodammodo *συνάρχοντας τῷ με« γίστῳ δαίμονι*, omniparentes Aethera et Ter« ram *εἰδοποιήσας*, connubio junxit; suasque hic « Poëta *ἐρωτικὸς* amori qui dicebatur partes ele« gantissimas assignavit: ex hoc conjugio omnia « primum enata cecinit, atque etiam nunc, per « hos conjuges, vernis praesertim temporibus, in « mutuos ruentes amplexus, in ordine quidque « suo vegetatum custodiri conservarique." (7) Post haec Valckenaerii verba nil addi debere credo, ad demonstrandum, Euripidem sibi egregie constitisse, cum Deum omnium rerum auctorem diceret, et tamen ex Aethere et Terra omnia provenire.

Pulcerrimum quin hic apponam Euripidis fragmentum non possum me temperare, ut clarius demonstretur, quomodo, philosophica sua, praeclarissimis poëseos ornamentis, nonnumquam ornaverit.

Γαῖα μεγίστη καὶ Διὸς αἰθὴρ,
Ὁ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ
Ἡ δ', ὑγροβόλους σταγόνας νοτίους
Παραδεξαμένη, τίκτει θνατοὺς,
Τίκτει δέ βορὰν, φῦλά τε θηρῶν·
Ὅθεν οὐκ ἀδίκως

Μή-

(7) *Diatrib.* p. 37.

Μήτηρ πάντων νενόμισται.
Χωρεῖ δ' ὀπίσω, τὰ μὲν ἐκ γαίας
Φύντ' ἐς γαῖαν· τὰ δ' ἀπ' αἰθερίου
Βλαστόντα γονῆς εἰς οὐράνιον
Πόλον ἦλθε πάλιν· θνήσκει δ' οὐδὲν
Τῶν γιγνομένων· διακρινόμενον δ'
Ἄλλο πρὸς ἄλλου
Μορφὴν ἰδίαν ἀπέδειξεν. (8)

Hoc vero fragmentum ad duas præterea nos ducit quaestiones, in quibus Euripides cum Anaxagoræ placitis conspirare videatur. Primo αἰθὴρ dicitur γενέτωρ θεῶν καὶ ἀνθρώπων, γαῖα vero dicitur omnes res parere, τίκτειν, γενέτωρ vero haec non dicitur. Fuit enim Euripidis ut Anaxagoræ placitum, ortum hominum et omnium animalium maribus tantum deberi, cum foeminae tantum receptacula essent, quibus infans, nondum in lucem editus, deponeretur et aleretur (9). Inde liberos patri multo plura, quam matri, vel potius fere omnia debere, ejus erat sententia. Sic Orestes, in tragoedia cognomine, Tyndareo, ut matris caedem defenderet, suam culpam sane minueret, dicit se patrem ultum fuisse, atque huic

(8) Fr. Chrysippi deperditae fabulae. Exstat in Grotii *Excerpt.* p. 416. plenius et emendatius in Valcken. *Diatr.* p. 19.

(9) De Anaxagora illud testatur Aristoteles *de animalium gener.* IV. 1. neque insolitum antiquitus illud placitum fuisse docemur loco Diodori Siculi Lib. I. p. 91. qui Ægyptios idem credidisse testatur.

huic se multo majorem debere reverentiam et pietatem, quam matri, nam ait (10):

Πατὴρ μὲν ἐφύτευσέν με, σὴ δ' ἔτικτε παῖς
Τὸ σπέρμ' ἄρουρα παραλαβοῦσ' ἄλλου πάρα.

Sic in incertæ fabulæ fragmento apud Stobaeum (11) filius matri dicit, se matrem honorare et amare, sed omnium se maxime amare patrem, cum ab hoc genitus esset κείνου γὰρ ἐξέβλαστον. Neque umquam verbo φυτεύειν de matre utitur Euripides, cum saepius de patre illud dicat (12) quamquam apud Sophoclem de utroque parente inveniatur. Pluvias guttas recipiens, terra fingitur parere omnia quae exstant, ut poëtica ratione animadverteret, initio anni, veris tempore, quum imbres crebri de coelo cadunt, tempus esse, quo natura, ex longo illo hyemis quiete orsa, denuo fruges et fructus parat, quasi benigna mater, curans ne aliquid mortalibus desit. Ultimi denique hujus fragmenti versus non negligendum nobis præbent documentum, quo de philosophia Euripidis justum ferre possimus judicium. Uti enim Anaxagoras jam dixerat, nullam rem interire posse, sed om-

(10) *Orest*, 551.

(11) *Florileg.* p. 455. 10. Ed. 1559.

(12) Semel, in vulgata lectione, vox φυτεύσαντες de utroque parente exstat in *Phoen*. vs. 34. in quo tamen versu Valckenaerius, ex Strabone, legere vult τεκόντας. Vide eum ad h. vs. De patre exstat l. l. *Orest.* Ib. 11. *Med.* 878. multisque aliis locis, quae vide in Jndice Ed. Beckianae.

omnes res, cum ex innumeris variisque partibus constarent, in eas partes iri resolutum (13); sic Euripides hisce versibus significat, omnia eo reditura esse, unde essent orta, corpora, ut terrena, in terram, quae ex aethere orta essent, in aetherem esse reversura: nihil vero omnium mori, sed omnia ad prima principia esse reditura. Colligere vero ex hisce nobis liceat, Euripidem, uti in sententia de solutione, *διακρίσει*, cum Anaxagora convenit, ita eum huic convenisse, in loco de *συγκρίσει*, atque eum, uti Anaxagoram, statuisse, omnes quae existant res, omnium *ὁμοιομερίων* participes esse, ita ut *omnia essent in omnibus*, ac nomina rerum pendere, a proportione qua hae *ὁμοιομερίαι* in uno corpore essent conjunctae; ita ut aurum illud vocaretur ubi plures auri particulae inessent, et sic de ceteris (14). Praeterea in aliis rebus minoris momenti, uti solem esse lapidem (15), Nili fluvii

---

(13) Quum enim materiam aeternam diceret, mori vel in nihilum converti nihil poterat, sed, quae mors dicebatur, mutatio pristinae tantum erat formae. Plutarch. *de plac. philosoph.* L. I. p. 885. D. *Ἀναξαγόρας ὁμοίων τὴν φύσιν (εἶπε) σύγκρισιν καὶ διάκρισιν, τουτέστι γένεσιν καὶ φθοράν.* Add. Lib. V. p. 908. D. ubi Anaxagoram et Euripidem ejusdem fuisse sententiae dicit, addito versu a nobis citato.

(14) Vid. supra citat. Plutarchi locus *de plac. philos.* L. I. p. 876.

(15) Vid. fragm. Phaëthontis apud Grot. *Exc.* p. 411.

vii incrementa nivibus in Aethiopia deberi (16), aliisque talibus, eum Anaxagoram fuisse secutum antiqui nobis tradiderunt scriptores (17), unde apparet eum fere nihil in physicis statuisse, nisi quae ab hoc magistro acceperat.



CA-

(16) Vid. *Helena* init.

(17) Primum narrat Diogenes Laertius *in Anaxag.* alterum Diodor. Sicul. I. pag. 46. Add. Schol. ad *Apollon. Rhod.* IV. 269. cit. apud Valcken. *Diatr.* p. 30.

CAPUT TERTIUM.

De animorum immortalitate.

Accedimus ad tertiam de philosophia Euripidea quæstionem, qua tractatur de animo humano, ejusque statu post mortem, sive discessum a corpore. Breviter vero nos hoc capite agere, et pensum absolvere poterimus, cum egregie, hac de re, disputaverit summus Valckenaerius, in Diatribe sæpius laudata c. VI. Paucis tamen Euripidis explicare conemur sententiam, et cum in hoc quoque loco nobis, post magnos viros, Anaxagoram secutus videatur, hujus opiniones de illa quæstione exponemus succincte. Anaxagorae vero doctrina una graviori laborat difficultate, cum non satis constet, quamnam hic statuerit differentiam, inter *animum* et *animam*, et an ullum inter eas discrimen admiserit. Quam dilucide illud a nobis possit fieri hanc rem explicare tamen conabimur.

Anaxagorae doctrina videtur illo placito in primis innisa esse, hominum animos esse partes mentis illius divinae, quem Deum esse vidimus. Aristoteles enim, qui eum confundere statuit *animum* et *animam*, *νοῦν* et *ψυχὴν*, eum dicentem facit, animam, *ψυχὴν*, esse illud quod moveat: aliosque similiter statuisse, quibus placuit u-

universum a mente, νοῦ, regi (1), mentem itaque, hoc sensu, cum anima confundi, aperte Aristoteles videtur significasse. Praeterea, eodem loco dicit, Anaxagoram statuisse mentem in omnibus hominibus inesse, eam vero mentem perturbationis esse expertem et cum nullo elemento aliquid habere commune (2). Si igitur animus hominum pars est animi divini, sive τοῦ νοῦ, necessario ab Anaxagora immortalis dici debuit. Dixit enim, animum, post hominis mortem, revertere ad mentem (νοῦν) unde emanaverat; omnes enim res mutari tantum, et ad pristinum statum revertere, capite superiori vidimus: nam συγκρίσει καὶ διακρίσει omnis natura continetur. Neque obstare nobis potest auctor *de placitis philosophorum*, qui duobus locis (3) dicit, Anaxagoram statuisse hominum animos esse mortales: cum priori loco dicat, Anaxagoreos statuisse, animam esse aëream et corpus (ἀεροειδῆ καὶ σῶμα): hoc separationem esse animae mortem (εἶναι δὲ καὶ ψυχῆς θάνατον τὸν διαχω-

---

(1). Aristot. *de anim.* I. 2. § 9.

(2) Id. Ibid. § 10 et 32. Non certum tamen est Anaxagoram haec confudisse, nam alio ejusdem capitis loco Aristoteles testatur eum distinxisse νοῦν καὶ ψυχήν. » ut antea dixerat. » At plane dixerat contrarium; locus itaque videtur corruptus Clar. Meinersio in *Hist. Doctr. de vero Deo.* p. 365. in n^a. praesertim, cum Plato, in Cratylo. p. 400. A. testari videatur eodem Meinersio, Anaxagoram νοῦν et ψυχὴν rite distinxisse. Add. Arist. *Ausc. Physic.* VIII. 5. §. 13.

(3) Lib. IV. 3. et V. 25. p. 898. D. et 910. A.

ρισμὸν). Nam præter illud, quod Aristotelis disertum testimonium majoris ponderis videatur, quam hujus auctoris, et plane cum Anaxagorae reliqua puriore philosophia conveniat, luculenter nobis demonstrasse videtur summus Wyttenbachius, utrumque locum vitiosum esse, et facili medela in integrum restituendum, ita ut haec objectio plane submota possit videri (4). Jam nunc videamus de Euripidis sententia. Hunc, qui tam eximias de Divina natura protulit sententias, animos quoque immortales statuisse, etiamsi nulla loca exstarent, quibus illud aperte significaretur, dubitaturum puto neminem. At, multa talia exstant loca, quibus suam nobis aperuit sententiam.

Statuit igitur Euripides, animos hominum post mortem a corpore discedere, et in aetherem revertere, corpus vero in terram; (secundum placitum, quod memoravimus, omnia redire unde venerant), hominibusque corpus pro domicilio tantum a Deo esse datum, ut in illo, hac vita durante, habitarent. Sic in Supplicibus Theseus ait (5):

"Οθεν ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο
'Ενταῦθ' ἀπῆλθε, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα
Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν. οὔτι γὰρ κεκτήμεθα
'Ημέτερον αὐτὸ, πλὴν ἐνοικῆσαι βίον.

ae-

(4) Vid. Wyttenb. disput. *de immort. animi.* Sect. I. in ejus opuscul. Tom. II. p. 526. *sqq.*

(5) Vs. 513.

Aetherap enim locum duxit ubi animi defunctorum habitant, uti ex pluribus aliis locis patet. Sic in iisdem Supplicibus vs. 1140. chorus de mortuis et crematis dicit: *αἰθὴρ ἔχει νιν ἤδη πυρὸς τετακότας σποδῷ* (6).

Sic in fragmento apud Grotium in Exc. p. 423.

Ὁ δ' ἄρτι θάλλων σάρκα, διοπετὴς ὅπως
Ἀστὴρ ἀπέσβη, πνεῦμ' ἀφεὶς εἰς αἰθέρα.

At non ita se *πνεῦμα* aetheri jungit, ut in eo dissolvatur, sed ut vitam sibi propriam, et sui agat consciam, quod apparet ex nobili loco Helenae, ubi Theonoë mulier vaticina, quam ideo rectum videre, et futura scire, nos docet poeta, haec dicit: (7)

ὁ νοῦς
Τῶν κατθανόντων ζῇ μὲν οὔ, γνώμην δ' ἔχει
Ἀθάνατον, εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών.

ad quem locum Barnesii verba, mea facere nullus dubito: «Ex hoc loco, vera Anaxagorae et «Euripidis sententia potest erui, animam nempe «hominis, non statim post mortem in aetherem «dissipari, sed in liberum aetherem, ut immor«tale vehiculum, receptam, vitam quidem ut nos «nequaquam vivere, at immortali sensu et vi«ta magis vitali frui, quae est vera spirituum «vita" (8).

Ap-

(6) Vid. ad h. l. Barnesius uti et ejus nota ad *Suppl.* 533 et *Heraclid.* 529.

(7) *Helen.* 1020.

(8) Vide Eum in not. ad h. l. Cf. Valckenaerius *Diatr.* p. 54 *sqq.*

Apparet igitur, Euripidem quoque quodammodo confudisse animam et animum, πνεῦμα et νοῦν, sed tamen aeternam vitam iis tribuisse. Neque tantum in eo substitit, ut animum immortalem diceret, sed amplius suam explicuit opinionem, homines multo feliciorem acturos esse vitam, quando animus a corpore segregatus erit, quam in hac terrena vita molestiis repleta nobis potest contingere, in qua

οὐκ ἔστιν ὅρος κείμενος οὐδεὶς
εἰς ὅντινα χρὴ τελέσαι θνητοὺς
πλὴν ὅταν ἔλθῃ κρυερὰ δίοθεν
θανάτου πεμφθεῖσα τελευτά (9),

aut, uti Barnesius dixit, eos vita magis vitali esse fructuros. In Polyidi deperditæ fabulæ fragmento, illius rei nobis exstat documentum, ibi enim dicit poëta:

Τίς οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν,
Τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν κάτω νομίζεται; (10)

Egregia certe sententia, etiamsi dubie et quasi interrogative proposita. Rationis enim lumine, ultra dubitationem de ea re, hominum ingenium procedere non posse, docemur Socratis et Ciceronis exemplo, summorum duorum antiquitatis philosophorum, et integerrimorum hominum; quorum hic in Platonis Phaedone, ille in Tusculanarum Quæstionum Libro I, certi aliquid, de ea

(9) Fragm. Euripidis apud Grotium *Exc.* p. 429.
(10) Exstat in Schol. ad Eur. *Hippol.* vs. 191. apud Barnes. in fragm. Tom. II. p. 469.

ea re, statui posse negaverunt. Et, si ex horum disquisitionibus, nobis facile est videre, eos tamen hac de re ita fuisse persuasos, ut omnino certae scientiae illorum dubitatio par esse videretur (11), Euripides quoque non magis, de ea re, dubitavit. Quod enim hoc loco haesitanter proposuit, eximiis versibus aperte docet alio loco (12):

ἀλλ' ὅτι τοῦ ζῆν φίλτερον ἄλλο
σκότος ἀμπίσχων κρύπτει νεφέλαις
δυσέρωτες δὲ φαινόμεθ' ὄντες
τοῦ δ', ὅτι τοῦτο στίλβει κατὰ γᾶν,
δι' ἀπειροσύναν ἄλλου βιότου,
κοὐκ ἀπόδειξιν τῶν ὑπὸ γαίας.
μύθοις δ' ἄλλως φερόμεσθα.

Quo sane clarius quidquam inveniri posse, haud facile credam, quodve magis probet poëtam persuasum fuisse, post mortem bonis bene fore.

Vidimus, Euripidem animos in aethere statuisse habitaturos esse. In eo, igitur ab Anaxagora discessisse videri possit, qui eos, cum mente divina conjunctos fore dixit. Sed, uti Anaxagoras non semper rite distinxit inter νοῦν et ψυχὴν; sic Euripides nonnumquam aliquatenus confudisse videtur Aetherem et Deum (13), ita ut Aetherem non-

---

(11) De qua re vid. Wyttenbachius in Praef. ad Platon. *Phaed.* p. VIII.

(12) *Hippol.* vs. 191 sqq. vid. Valcken. ad h. l.

(13) Sic in *Troad.* 884. Iovem dicit γῆς ὄχημα quod

nonnumquam Deum vocaret. Fluxit illud fortasse ex eo fonte, quod introduxerat in Anaxagorae philosophiam illud de connubio Terrae et Aetheris placitum, quod poësi magis esset aptum, quam nuda illa philosophica propositio, de mente divina omnia ordinante; quippe quae magis ingenium et mentem afficeret, quam phantasiam et sensus. Sed, quum haec propositio semel mentem occupasset, ita ei inhaesisse videtur, ut plane se Aether et Deus in ejus animo confunderent, et ut ita, inscius et imprudens, cavillatoribus ansam daret, eum reprehendendi, quasi Anaxagorae disciplinam non intellexisset, et Deum statuisset corporeum.

Hoc loco denique nobis solvenda restat quaestio, quam moveri posse supra Cap. I. p. 30, significavimus, et reprehensio Euripidis est diluenda, quam in eum protulit vir clar. Bouterweckius (14). In Troadibus vs. 825. Hecuba Iovem nominat *νοῦν βρότων*. Hoc vero, ex male intellecto Anaxagorae placito, Deum esse mentem puram (*νοῦν*) fluxisse, arguit Bouterweckius. At vero, cum videamus Anaxagoram statuisse, animos humanos esse partes mentis divinae, equidem non video quare poëtam reprehendamus; qui

quod mihi ad aetherem videtur esse referendum. Neque hoc loco Barnesio assentire possum, qui eum (not. ad. h. vs.) nimis vereor ne extollat, et ei puriores de Deo sententias adscribit, quam hoc saltem loco profert.

(14) In opere saepius laud. *de Philos. Eurip.* p. 9.

qui poetice, non nisi paulo a philosophica ratione et Scholastica recedens argumentatione, Deum ipsum mentem dicat hominis. Hominis enim animus et mens divina, ita inter se erant conjuncti, ut alter sine altera non posset cogitari. Quin magis, recte eum dicamus sensisse, Deum esse unum, et individuum, atque igitur, si animus hominis pars erat mentis divinae, ipsam illam mentem dicendam esse animum hominis, νοῦν βροτῶν.

Dicamus igitur, omnia in unum comprehendentes, Euripidem statuisse animos hominum, quippe partes mentis divinae, post mortem fore felices et immortales, cum aethere et Deo conjunctos eos victuros esse, et ejus animo inhaesisse doctrinam de summa beatitudine, qua tum erimus fructuri, cum hoc corpus abjecerimus, quamquam hujus rei, non firmiorem habuit persuasionem, quam reliqui philosophi antiqui, cum sola duce ratione, ad certam hujus rei scientiam homines pervenire non posse videantur.



CAPUT QUARTUM.

De fato, et justitia divina.

Ad tragoediae Graecae indolem et naturam, in primis pertinet disquisitio, de justitia divina et de poenis et praemiis, quas summum numen bonis pravisque hominum factis necessario adjunxerit. Tragoedia enim vicissitudines exponens regum et heroum, quorum sorti plerumque populi cujusdam et regni fortuna erat conjuncta, horumque infortunia tradens, pulcerrimam nacta erat occasionem, docendi spectatores, magna crimina magnas consequi poenas, et infortunia. Hinc triumvirorum Graecorum, quorum tragoediae supersunt, fabulae fere omnes versantur in exponenda illa doctrina, et explicandis difficultatibus et repugnantiis, quibus impedita esse possit videri. Sed, quamquam, eo usque inter omnes conveniat, humanarum rerum natura secum tulit, ut quisque eorum alia ratione de his rebus sentiret, alio modo eas exponeret; neque mirationem movet, Euripidem in primis a decessoribus divertisse, cujus ingenium ad omnia nova molienda erat aptissimum, solitumque relinquendum tramitem. Hujus loci non est longe de doctrina Aeschyli exponere et Sophoclis. At, quum Euripidis merita et vitia melius cognoscantur, si ejus placita cum ho-

horum doctrina comparamus, succincte quaedam praemittemus de antiquissima illa de fato justitiaque fatali opinione: postea de Euripide ipso videbimus, ut pateat in quibus hanc opinionem sit secutus, in quibus novam iverit viam.

Triplicem agnoscere possumus modum, quo antiqui poëtae Graeci rationem, qua res hujus mundi quadam vi, hominum potentiam superante, regantur, explicare sint conati. Nam cum homines viderent multa in hac vita evenire, secus quam humana speraverat voluntas, vel praeviderat ingenium; multa quae sibi perniciosa crediderant mortales felicem exitum habere; multaque speciosa, et pulcra facie praedita, a quibus omnia bona speraverant, infelicissimum sortiri eventum; agnoverunt aliam esse rerum mutationis caussam, quam quae in ingenio aut voluntate hominum esset posita. Hinc ad persuasionem venerunt vim quandam eximiam, supra hominum captum potentem, omniaque praevidentem, hujus mundi administrationem gerere, verbo Deum sive Deos existere. Hisce Diis cum eximiam naturam tribuerent, et cum Deus omnibus hominibus boni ac mali notionem tribuerit, necesse erat eos videre, vel potius sentire, virtutem Diis esse gratam et ab illis remunerari, improbitatem vero iis ingratissimam, variis poenis affici. Itaque mala, quibus vitam humanam obrutam videbant, poenas duxerunt a Diis in improbos et

 sce-

scelestos immissas, felicitatem pro virtutis praemio habuerunt. Mox vero homines animadverterunt difficultates, quibus haec sententia laborabat. Cum enim ejus veritati nihil obstare posse primo obtutu videretur, usu edocti aliter de iis existimare coeperunt. Neminem profecto fugit, multos esse optimos homines et virtutum amantissimos, quorum vita continuata malorum continetur serie; neque pauciores reperiri scelestos, quibus omnia ita pro votis cedant, ut, quod cupere magis quam sperare audeant, tamen ipsis a fortuna tribuatur. Illud quoque explicare conati sunt homines, et in consonantiam redigere cum Deorum potentia et vi in administratione hujus mundi. Nonnulli igitur illud peculiari odio aut benevolentiae Deorum aut alicujus eorum adscribebant: alii vero statuebant praeter Deos existere vim quandam, quae omnibus omnino praesideret rebus, quae, quamquam inter Deos non locum habens, tamen majorem quam eos vim in administratione universi exerceret, Necessitatem naturae rerum insitam, qua omnia fierent, ut fiunt, neque aliter fieri possint, Fatum illud celebratum, Diis etiam potentius. Paucissimis denique placuisse videtur, de quibus vero nos non agemus, nullos omnino exstare Deos, nullamque rebus insitam necessitatem, sed omnia casu sine ullo regimine ferri, ac continuo quodam fluctu nasci et interire (1). Du-

(1) Cf. ad totum hunc locum Cl. P. van Limburg Brou-

Duas jam habemus opiniones quarum ubique apud Graecos poëtas fit mentio: neque tamen hoc ita fit, ut non apud eundem scriptorem nonnumquam Diis, praesertim Jovi, omnis tribuatur potentia, mox vero fatum omnibus imperare statuatur. Sic apud Homerum fatum, κὴρ, αἶσα sive μοῖρα (2) vitae humanae praeëst, sed non ita, ut nulla optio aut libertas relinquatur hominibus. Sic, ut Achillis exemplo utamur, fatum ei optionem dederat inter vitam longaevam ingloriamque et mortem brevi instantem, sed famae per omne aevum duraturae conjunctam (3). Neque tamen apud hunc Jovis potentia minor est fato, nam nonnumquam liber a fato nobis ab Homero proponitur, ita ut suam ipsius tantum voluntatem exsequatur, nonnumquam ita cum fato conjungitur, ut quasi unum idemque cum hoc Homero fuisse sit dicendus; praesertim cum alio loco, Jupiter dicatur deliberare num μοῖραν cujusdam mutet (4). Simili fere ratione nonnulli insequentes poëtae, uti Pindarus, Theognis, Hesiodus

Brouwer in *Comment. de rat. qua Sophocles veterum de admin. et just. divina notion. usus est, cet.* C. II. p. 31 *sqq.*

(2) De discrimine harum vocum vid. Limburg Brouwer l. l. p. 32. n^a. 3.

(3) Vid. Iliad. IX. 410 *sqq.*

(4) De hoc loco breviori mihi esse licuit, quippe de Homero eximie egit Limburg Brouwer l. l. p. 32—37.

dus aliique de Jove et fato, ac de necessitudine inter eos obtinente locuti sunt. Sic apud Pindarum μοῖραι felicitatem hominibus tribuunt, sed Jovis mente res humanae administrantur (5), apud Hesiodum, est Deorum hominumque rex, cui resisti nequit (6). Tragici vero poëtae, cum tragoedia primum coepit excoli, miras hominum rerumque casus et mutationes adspicientes, familias heroum videntes, per insequentia hominum genera, continuis obnoxias calamitatibus, magis se contulerunt ad opinionem, fatum omnia regere, vel saltem in omnibus rebus magnam fati esse vim, idque praesertim justitiam et aequalitatem inter homines tueri. Neque mirum illud est: quis enim totam Pelopis domum, omnem Labdaci progeniem, deinceps infortuniis et calamitatibus obrutam videns, non fatale quid, et inevitabile in rerum natura inesse putet, ad quod aufugiendum nullae humanae valeant vires. Coecum vero illud fatum nobis non proposuerunt, aut sine ulla ratione agens, sed divinam justitiam ei ita accommodarunt, ut haec quasi fatum moderaretur, et ut ita justitiae legibus congruenter ageret. Justitia Divina apud Aeschylum et Sophoclem persona est quae Δίκη nominatur; Jovi illa adsidet, eique omnes qui

---

(5) Pindar. *Olymp.* II. Epod. 2.

(6) Hesiodi fragm. in *Poet. Graec. min.* Ed. Gaisford. p. 190. LIII.

qui se violaverunt, nunciat (7); ac peculiares quoque suos habet ministros. Sic ad magna scelera punienda utitur Furiis, 'Ερινύσιν, egregia fictione, ad mentis scelerum sibi consciae internos cruciatus exprimendos, pravisque hominibus terrorem incutiendum, uti ait Clar. Bouterweckius (8).

Justitia illa fatalis, in primis conspicitur in regnorum occasu, regiarumque familiarum interitu. Illud praeterea ei, ex fati notione inhaeret, magis lege fatali caveri, ne crimen impunitum maneat, quam ne in quem alium, quam sontem ipsum, poena conferatur. Quum enim lex fatalis justitiae est laesa, Justitiae interest laesionem illam vindicari, sed plurimum non tantum in laedentem, vero etiam in progeniem saevit illa lex. Idem quoque obtinet, si quis imprudens et sine culpa legem migravit: aeternae enim vindictae semper satisfieri debet. Plerumque tamen in tali casu, quaedam levior adesse videtur causa, quare eum, qui fatali lege puniatur, non plane insontem puniri dicamus: cujus rei exemplum nobis praebere potest familia Oedipi. Oedipus ipse patrem interficiens incognitum, tamen ob hanc caedem, a justitia fatali erat puniendus: propter ejus parricidium Thebani peste affliguntur, et filii, quos ex nefandis nuptiis procreaverat, sibi invicem mor-

---

(7) Hesiod. *Op. et Dies.* 254 *sqq.*

(8) *De Justit. fabulos. ad rat. Trag. Graec. phil. et polit. pertin.* p. 6. In Comment. Recent. Soc. Götting. T. II.

mortem inferunt. At, quamquam omnes hi, coeco fato in perniciem acti videantur, nullus eorum culpa plane vacabat, cum Oedipus arrogantia sua ad caedem senis progressus esset, Thebani regem ejusque manuum placationem nimis celeriter essent obliti, Oedipique filii, hic superbia, ille patriae bellum inferendo, sortem meruisse possint censeri. Neque tamen ita hanc fati opinionem conceperant Aeschylus et Sophocles, ut non Diis quoque nonnumquam, summum humanorum casuum regimen tribuerent. Ita apud Aeschylum Prometheus a Jove victus scopulo alliditur, etiamsi Jupiter illud facere non potuisset, nisi fuisset in fatis (9), et in Choëphoris tria necessaria esse ad justitiam tuendam dicuntur, Κράτος et Δίκην et omnium maximum Jovem (10). Sophocli itidem Jupiter is dicitur, qui omnia videt et gubernat (11), atque justitiam divinam administrat. Neque Jovi tantum hanc potentiam tribuit Sophocles, ut voluntatem suam exerceat, sed Minerva quoque Ajaci furorem immittit, ut eum a caede Atridarum et Ulyssis retineat. (12)

Jam veniamus ad Euripidem, et videamus quid huic de fato et Diis placuerit. Generatim, ut haec praemoneam, uti in aliis tragici poetae parti-

(9) Vid. *Prometh. vinct.* ubi vs. 9. Vulcanus Prometheo dicit eum θεοῖς δοῦναι δίκην, et vs. 518. Prometheus ipse dicit, ne Jovem fatum posse aufugere.

(10) *Choëph.* 242.

(11) *Elect.* vs. 176.

(12) Vid. *Ajax* princ.

tibus, ita etiam in doctrina de Deorum providentia et justitia divina, inter tres notissimos illos viros observatur differentia et gradatio.

Quum enim Aeschylus rudem artem primum expoliverit, tragoediæ ejus hanc ruditatem redolent quodammodo, quum parum artis in fabula constituenda animadvertamus, et versus rudiores, sed sublimiores nonnumquam quam apud reliquos, inveniamus. Apud eundem fatum, inevitabilis necessitas, in tragoediis dominatur, cum nullam fere potentiæ deorum faciat mentionem, et ejus tragoediarum superstitum nulla est, quae non in justitiae divinæ a fato administratione versetur. Apud Sophoclem artem videmus excultam, pulcram constitutionem fabulae et artis plenam, versus grandes sed castigatos, neque insolitis formis et figuris spectatorum et legentium animos percellentes. Eodem vero modo, quo artis ruditas et quasi durities apud eum plane evanuerat, fati notio est mitigata; Diis, hominum naturæ magis similibus, major tribuitur potentia, magis ad humanas affectiones se vertit poëta. Hunc excipiens Euripides, ut peculiare quid sibi vindicaret, versibus poliendis magnam impendit operam, ita ut eos nonnumquam enervatos et molliores effecisse videatur, (13) eademque ratione, laxiorem quoque quam Sophocles philosophiam de justitia divina introduxit, et magis eam

sui

(13) Vid. van Limburg Brouwer l. l. p. 10.

sui temporis opinionibus accommodavit. De singulis videamus.

Fatum Euripides quoque, ut superiores poëtae, agnoscit, sed non nisi raro ita ab eo proponitur, ut quasi inevitabile, et omnibus Diis majus credatur, quamquam hujus quoque sententiae exstant exempla. Nam in fragmento Oedipi, nobis servato a Stobæo et Plutarcho (14), fato dicit effici, ut scelestorum consiliorum malas mercedes accipiant homines: ubi plane eandem profitetur opinionem de justitia fatali, quam Aeschylus et Sophocles erant professi. Simili fere modo Orestes dicitur fatali necessitate adductus, ut matrem interficeret (15). Necessitatem, fatum illud inevitabile esse pluribus locis significavit, quum fatum suum neminem posse aufugere (16) stultumque esse qui ei resisteret (17) pronuntiaret. Splendidissimis in Alcestide versibus hanc necessitatem nobis proposuit, quum nihil dicit ea esse potentius, neque ullum remedium esse quo eam depellamus, illam solam esse Deam, quae flecti non possit, cum ad ejus aras non liceat accedere neque victimas accipiat (18). Hoc tamen fatum si-

ve

(14) Extat apud Stobaeum *Eclog.* I. 1. c. 4. Ed. Heer. p. 106. apud Plut. *de aud. poët.* p. 23. E.

(15) Eurip. *Electr.* 1301.

(16) *Jon.* 1398.

(17) *Herc. Fur.* 282.

(18) *Alcest.* 962 *sqq.*

ve necessitas, apud Euripidem raro partes in administranda justitia exercebat, quae apud eum, magis quam apud Aeschylum et Sophoclem, Diis solis reservata est, uti verbo jam diximus; vel quae a Iove et fato conjunctis exercetur, in quo magis ad Homeri sententiam videtur reversus esse. Diis et Iovi præsertim eum justitiam divinam tuendam dare, omnino cum sententia quam de Diis informaverat et docuerat consentaneum erat. Nam, uti Cap. I. vidimus, puram de Diis fovebat sententiam, et quamquam eam Græcorum Diis accommodaverat, summo uni Deo gubernationem mundi et justitiæ administrationem adscripsit. Hinc fluxit quod variis locis docuit, futura Diis omnia esse permittenda; (19) divinitus in domos parricidarum immitti dolores et mala; (20) homines ex Iove pendere et facere quae ille velit (21). Plerumque tamen Deum et fatum ita conjunxit, ut fatum quasi summa sit justitiæ lex, Dii sive Jupiter solus curet, ne huic legi fraus fiat. Sic et omnia a Deo veniunt, nullus felix est aut infelix sine Deo, neque ullo modo potest aufugi illud quod fatum alicui impendet; (22) nullus Deorum irritum faciet illud quod necesse est fieri, (23) et

(19) *Phoen.* 717.

(20) *Medea.* 1270.

(21) *Suppl.* 735.

(22) *Heraclid.* 608. *sqq.*

(23) *Herc. Fur.* 311.

et quae Jupiter annuerit, illa cum fato sive necessitate perficit; (24) quo posteriori loco a Iove pendere videtur necessitas. Confunduntur vero nonnumquam, cum dicat poëta, fatalia esse ferenda, quum Iovi ita videatur (25). In illa vero administratione divinae justitiæ Deos nobis proponit, paucissimis exceptis, justitiae omnino congruenter agentes, et in primis felicitatem et infortunium pendere dicit, a bona vel prava vitae agendae ratione. *Δίκην* ipsam Deam agnovit, quae Iovis filia (26) non patitur infelices et supplices injuria affici (27). Qui *ξὺν δίκῃ* rem aggreditur, hostes se esse victurum, sperare ei licet (28), cuique enim evenit secundum ea quae egerit, justis fausta, malis mala (29). Justitia quoque flagitat, ut hi qui alios malo afficere cupiant, ipsi mala patiantur; (30) neque si fortuna scelestorum secunda videtur, aut boni in calamitate versantur, desperandum est, tamquam

---

(24) *Alcest.* l. l.

(25) *Androm.* 1270.

(26) Fragm. apud Stobaeum *Ecl. Phys.* I. 4. p. m. 118.

(27) *Heraclid.* 105.

(28) *Phoen.* 156 *sq.*

(29) *Hecuba* 902 *sq.* Cf. *Jon* 440. *sq.*

(30) *Jon.* 1249.

quam Dii non essent, (31) nam necopinata mortalibus accidunt fata Deorum (32) nec, quamvis morti proximus quis sit, dicat se periisse, sæpe enim magna calamitas magnam affert rerum mutationem (33), et tandem boni erunt felices, mali vero numquam poenam poterunt aufugere, vel Deum, qui eos prehendere vult (34). Deorum enim auxilia lenta quidem sunt, sed tandem non sunt infirma (35) quodque obnoxium est iis et justitiae divinae non irritum fiet, (36) nam acutus et omnia videns est oculus Deorum (36*). Itaque ne quis Deos contemnat (37), eorumque vocem audiens non obtemperet: stultum enim est, nullamque gloriam affert cum Diis pugnare (38). Patet illud quoque exemplo filiorum Oedipi: hi enim Deos latere se credentes, et eos aufugere, stulte erraverunt, nam quoniam patrem non honorarunt, diræ paternae eos (39) agitaverunt, et se invicem interfecerunt. Justitia vero haec lento et tacito incedit pe-

(31) *Jon.* 1619.

(32) *Iphig. in Aul.* 1610.

(33) *Iphig. in Taur.* 719.

(34) *Jon.* 1245.

(35) *Ibid.* 1615.

(36) *Hecub.* 1029. Add. omnino fragm. apud Stobaeum *Ecl. Phys.* I. 4. p. 110.

(36*) Fragm. apud Eund. Ib. p. 111.

(37) *Herc. Fur.* 759.

(38) *Iphig. in Taur.* 1479.

(39) *Phoen.* 887. Cf. 1364 et 1435.

pede, neque homines a fronte aggreditur, (40) sed lento gressu tergis nocentum insistit vel, uti Horatius illud expressit,

raro antecedentem scelestum
deseruit pede poena claudo.

Fatalis igitur justitiae apud Euripidem non frequens est mentio: Dii enim justitiam tuentur, eamque proprio motu et, ut rerum diversitas fert, administrant. Sed, quum Euripides talem informavisset de justitia opinionem, in ingentem incidit difficultatem, quo modo hanc suam sententiam adaptaret Diis illis Græcorum Mythologiae, quibus carere non potuit. Vidit profecto Euripides, Deorum actiones et dicta justitiae notioni debere convenire, sed fabulas quum tractaret notissimas, hosce Deos quoque debebat informare, uti recepta populi opinio eos per multa hominum genera conceperat. Hinc factum est, ut nonnumquam totius fabulae ordinatio et exitus minus puris, de Diis eorumque justitia, opinionibus conveniat, quam ex multis insertis egregiis sententiis nobis exspectare licuerat. Quum igitur Hippolyti et Phædrae historia, quam τραγικωτάτην esse, omnes uno ore confitentur, ab Euripide proponebatur, omnium spectatorum animis persuasio inhaerebat, hunc a Deo quodam peculiaris odii causa esse perditum; tales ve-

(40) Fragm. apud Stobaeum l. l. p. 114. Cf. Valcken. *Diatrib.* p. 186 sq.

vero opiniones deserere ei non licebat, sed eas in ipsa illa tragoedia vituperare, omne erat quod tragico licebat poëtae. Idem in Hercule Furente nobis licet observare, quae quoque tragoedia justi et Deorum justitiae notioni propogandae non valde videtur inservire. At si non alio modo eas fabulas poterat informare, quare illas omnino tractavit? quare non se conformavit praecepto illo, quod Horatii versu continetur:

Et quae
desperat tractata nitescere posse relinquit?

Hoc in Euripide reprehendendum esse nonnulli putavere, neque Bouterweckius (41) ab ea opinione alienus esse videtur. Sed cum ars Scenica apud Graecos esset nata, originem quidem debuit choris in Deorum, Bacchi in primis, honorem a populo cantatis, unde semper quaedam conjunctio ei mansit, cum popnlari religione. Sed cum semel in artem esset redacta et suam adepta naturam constitisset tragoedia, uti ait Aristoteles (42), et certas nacta esset regulas, pulcri Graecorum studio in primis effectum est, ut non tam prodesse, quam delectare, finis esset artis Scenicae, tragoediae in primis, et ut voluptatem ac pulcritudinis perceptionem magis in ea quaererent Graeci, quam institutionem et religionis vel philosophiae praecepta (43). Haec

(41) Op. laud. p. 20.
(42) Arist. *Poët.* IV. 15.
(43) Cf. ad hunc locum Clar. v. Limburg Brouwer l. l. p. 15 *sq.*

Haec quum animo teneamus, nobis palam fit, quare tales quoque fabulas tractaret Euripides, quum eas maxime animi affectus moventes, τραγικωτάτας esse videamus. Quis enim umquam magis miseratione dignus fuit Hippolyto, Veneris odio pereunte. Et tamen in hac tragoedia, non omnis justitiae expers illud Deæ odium proposuit, quum Hippolytum Veneri, amori et foeminis atrociter convicianteminduxerit. De Baccharum tragoedia verbo jam, praeeunte summo Valckenaerio, monuimus, quare eius tragoedia e nomine neque Euripidem accusare volumus, neque defendere.

Dicendum igitur nobis videtur Euripidem, non minus recte quam decessores de justitia judicasse divina, quum a fato illam removeret; impeditum vero fuisse Diis Graecis, quo minus melius etiam de ea pronuntiaret, neque illum fabulas, in quibus justitia a Diis non recte administrata videri possit, debuisse intactas relinquere, quum iis tragicae artis finem posset attingere, affectus movere atque contemplatione malorum, pulcritudinis sensui gratificari et voluptatem parare spectatoribus.



PARS

PARS SECUNDA.

De philosophia morali sive practica.

CAPUT PRIMUM.

De politica.

Ad alteram philosophiae partem accedentes, quae magis in vita hominum usu venit, jure nobis videmur initium facere a politica. Haec enim ars apud Graecos a summis philosophis colebatur, ut una e præcipuis philosophiae partibus, in libera praesertim republica, et, quae in Euripidis tragoediis ad eam pertinent, semper omni laude digna sunt habita. Nam cum in theologia, nimium a vulgari opinione et decessoribus recedendo, quaedam turbaret et minus recte proponeret, in morali philosophiae parte, haec scopula non offendens, omnino pulcra et vera protulit. Sive enim patriae amorem spectatoribus inculcat, sive praecepta civibus tradit, quibus in administranda republica, cum magno suo damno, non satis usi sunt Athenienses, sive urbis suae aut Graeciae laudes celebrat, semper officio suo satisfacit, auditoresque monet et delectat pariter. Et profecto, quomodo quis patriae amorem me-

melius celebrabit, ejusque nobis pulcrius proponet exemplum, quam Euripides fecit in eximia illa et amabili Iphigenia, quae florente juventute, opibus, familia pollens, sponsa omnium praeclarissimi herois, non dubitat mortem pro patria, pro universa Graecia, obire. Turpiter enim foret, ob unam Iphigeniam, (uti ipsa dicit) tot praeclaros Graecos a pugna prohiberi, neque tolerandum, Graeciam barbaros inultos injuria affecisse, quos Graeci debent superare, nam liberi sunt hi, illi vero servi (1). Neque talem nobis proposuit Iphigeniam, quae heroica mente instructa, vitae bona negligeret nihilique faceret, ut ita non magno sacrificio ipsi opus esset; neque ita ut nulla spes superesset salutis; sed vitae hujus felicitatem probe agnoscit, non cupit mori, amat vitam, pulcerrima oratione patrem mulcere studet, ut mors a se avertatur, et ne inferos, quos nemo cupit videre, adspicere cogatur (2); neque Achilles eam defendere detrectavit (3), qui solus fere toti par erat exercitui: sed haec omnia bene reputans et perspiciens, tamen, quia universae Graeciae se natam putabat, (4) mortem hilariter obit. Simile nobis exemplum in alia proposuit virgine, in Tragoedia Heraclidis, quamquam minus vividis depi-

(1) *Iphig. in Aul.* passim, in primis 1368—1400.

(2) *Ibid.* vs. 1210—1250.

(3) *Ibid.* 1358.

(4) *Ibid.* 1386.

pictum coloribus, utpote non argumentum sistens tragoediae, sed tantum degressionem (6). Hac enim tragoedia, proponitur Herculis familia, quae ab Eurystheo Mycenis ejecta, duce Jolao, Herculis quondam amico, per Peloponnesum ubique quum errasset, tandem Athenas venit, et a Demophonte, Atheniensium rege, comiter excepta erat. Hos vero Heraclidas urbe pellere Demophontem jubet Eurystheus: ni faciat, bellum indicit; quod Demophon mavult, quam hospites tradere. Quum vero oraculum esset datum, Athenienses non victuros esse Argivos, nisi nobilis mactaretur virgo, sacrificium Diis, ad angustias et rex Atheniensium et Jolaus adacti erant, cum ille, quamquam hospitii jus omni modo intactum volens servare, tamen nollet puellam Atheniensem sacrificare, hic nesciret, quomodo hinc se expediret. Jam vero Macaria, una Heraclidarum, ex Jolao his omnibus auditis, statim se morti vovet, ut familiam servet et patriam: hanc enim, ope Atheniensium, erant recuperaturi Heraclidae. Neque patitur se ab Jolao ab hoc proposito averti, et sorte commissum iri, quaenam inter Heraclidas morti occumberet, sed paratam se dicit liberam, coactam vero se illud non facturam. Turpe enim esse, addit, cum civitas omnia bona nobis tribuat, nolle pro civitate infortunium pati vel mortem, neque ali-

o-

---

(6) *Heraclid.* 475—607.

orum auxilio esse dignum, qui mortem pro patria obire recuset. (6) Remuneratione autem talem virtutem non carere innuit poëta, ut magis etiam accendat civium amorem erga patriam: gloriosam enim mortem, cujus fama apud homines manebit, hanc dicit, quam quis pro fratribus et terra patria oppetit. (7)

Nobile quoque hujus patriae amoris, ad mortem usque obeundam, exemplum nobis proposuit in Menoeceo, Creontis filio (8), qui, quum ad servandam patriam, opus esset, ut se Diis inferis voveret, contra patris voluntatem, eumque latens, mortem sibi ipse paravit, quam aufugere optime potuisset. Sed turpe esse Menoeceus declarat, mortem detrectare, cum tanta hominum multitudo quotidie eam, in pugna pro patria, obire sit parata, neque ad id oraculis et deorum jussu destinata (9). Magnis laudibus Cassandra quoque in Troadibus (10) Hectorem prosequitur, qui pro patria erat caesus, neque parvam ait esse gloriam, pro ea fortiter pugnantem occumbere. Multis praeterea locis, quamquam non ei adessent exempla tam luculenta, quam quae memoravimus, amorem patriae civibus inculcare studet.

(6) *Heraclid.* vs. 505 et 518 *sqq.*

(7) *Ibid.* 622 *sqq.*

(8) *Phoen.* vs. 998—1025.

(9) *Ibid.* 1006 *sqq.*

(10) *Troad.* 394—401.

det. Vel enim nobis exules proponit, querentes de infortunio et calamitatibus eorum, qui patria carere sunt coacti, uti Polynices in Phoenissis (11): vel chorum inducit, pulcerrimis versibus precantem, ut Dii a se avertant malum exilii, ne umquam patria spolietur: illius enim desiderium tam vehemens esse, ut melius sit mori, quam hanc pati calamitatem (12). Multas praeterea seruit ubique sententias, quibus declarat, quam cara patria cuique debeat esse, uti: nil carius esse patria (13); amanti patriae omnia molienda esse, ut eam salvam reddat (14); non recte sapere qui, spreta patria, aliorum mores sectetur (15); neque fidem esse habendam ei, qui dicit se patriam non amare (16). Quin etiam ultimum supplicium ait esse exilium, et poenam quae maximis sceleribus optime conveniat, multoque mortis poena majorem (17). Si vero talibus patriam cuique caram esse significavit poëta, vel caram esse debere, ad illum patriae amorem firmamdum, non infeliciter usus est comparatione, quam saepe inter Graeciam et barbaras terras instituit. Hac enim compara-

ti-

---

(11) *Phoen.* vs. 368 *sqq.* 401 *sqq.*

(12) *Medea* vs. 645—662.

(13) Stobaeus *Flor.* c. XXXIX.

(14) Id. *Ibid.*

(15) Id. *Ibid.*

(16) *Phoen.* 362.

(17) *Hippol.* 1048.

tione cum Graecis gratificaretur, eodem tempore, iis omnia illa proposuit, quibus exteras nationes vincerent. Barbaros armis Graecis ubique cedere, pluribus locis protulit (18), Graecosque jure omnibus barbaris imperare. Sic in Iphigenia in Aul. Agamemnon se filiam interficere dicit, et Iphigenia ipsa mortem se ait subire, ut Graeci barbaris imperent (19). Qui Graecam terram potest habitare, multo felicior est eo, qui barbaram incolit (20): illudque solum, Graecam habitare regionem multis malis sarciendis sufficit. Nam cum Medea, in tragoedia hujus nominis, Jasoni perfidiam et injuriam exprobravisset, hic contra, recensens bona quae Medea per ipsum erat consecuta, primo loco memorat eam Graeciam habitare neque amplius barbaram terram, et famam comparasse inter Graecos, quorum ceteroquin nemo umquam de Medea quidquam audivisset (21). Maximam vero Graecorum prae barbaris laudem in virtute et honesti studio posuit Euripides. Inde, loco Medeae memorato, Jason quoque dicit, Medeam, cum in Graeciam venisset, primum didicisse legibus uti, ac jure et non tantum pro viribus (πρὸς ἰσχύος) agere. In

O:

---

(18) Τοὺς οὐδένας, eos vocat Menelaus. *Iphig. in Aul.* 372.

(19) *Iphig. in Aul.* 1274 *sq.* et 1378 *sqq.*

(20) *Iphig. in Taur.* 1037 *sq.*

(21) *Medea* 536 *sqq.*

Oreste Phrygium servum inducit, qui vecordia, timore, adulatione et jactantia in rebus prosperis, moribus Graecis continuo opponitur (22). Cum multa praeterea sint loca similis argumenti, duo tantum exhibeamus, quippe ad eam morum Graecorum partem se referentia, cujus apud barbaros vestigia non erant, saltem non esse credebantur.

In tragoedia Hecuba, cum Achillis manes Polyxenae sacrificium postulavissent, Hecuba eximia oratione Ulyssem, qui ad virginem arcessendam venerat, a sacrificio detinere conatur. Cui orationi cum respondet Ulysses, inter alia, talia dicit (23): Achilles propugnaculum fuit Graecorum, dum viveret, jam mortuum honorare nos decet, nam turpe est viventis amici auxilio frui, mortuum negligere. Et profecto si videmus honorem mortuis non tribui, quis fortiter pugnabit? procul a Græcis absit haec sententia. « Vos barbari quidem « neque amicos ducitis amicos, neque honoratis « fortiter qui occubuerunt. Sed propterea Græcia « floret, vobis evenit secundum vestra consilia." Pulcre profecto dictum, et, si quid aliud, aptissimum, ut Græcos morum et patriae amantissimos redderet, et eos, pro hac, hilariter perferre labores et molestias doceret. Quodsi Græcos laudat Euripides propter cultum mortu-

o-

---

(22) In primis v. 1369 *sqq.*

(23) *Hecuba* 299—331.

orum, non minus illos extollit prae barbaris ob humanitatem et pietatem. Nam cum in Heraclidis, regi Atheniensium nuntiatur, aliquem voluisse supplicem ab ara avellere, rex, illo nuntio audito, hunc ita alloquitur. Græcum quidem gestas pallium, ceteroquin facta tua barbaram arguunt manum (24). Sed si hisce Græcorum universorum animos duceret, ut patriæ praestantiam agnoscerent, proque ea omnia facerent et subire essent parati; non obliviscebatur se Atheniensem esse, præcipue Atheniensibus se Tragoedias scribere, et sic patriæ gloria et fortuna, qua suo tempore gaudebat, incensus, Athenas præ omnibus extollit Græciæ civitatibus, ejusque urbis cives omnibus aliis Græcis anteposuit. Nam non tantum Athenas vocavit *ζαθέαν Θήσεως χώραν*, (25) sive *τὰν εὐχαρίστως ἔχουσαν πόλιν* (26); sed cum mulieres Trojanae in Graeciam in captavitate jamjam ducerentur, chorus instanter deos precatur, ne in aliam terram abducatur, quam in celebrem felicemque Thesei regionem (27). Athenas dicit esse urbem, quae, quo majori prematur periculo, eo terribilior hostibus fiat, ita ut Gorgoni sit similis, omnesque vincat hostes (28). Maxime vero popularibus suis gratificatus est, Athenarumque laudes

(24) *Heraclid.* vs. 131.

(25) *Troad.* 219.

(26) *Heraclid.* 380.

(27) *Troad.* 208.

(28) *Supplices* 332 sqq.

des celebravit, integris duabus tragoediis, quae in primis hoc tantum proposito scriptae videntur: Supplicibus et Heraclidis. In illa enim tragoedia, Theseus, Athenarum rex, Creontem, regem Thebarum, cogit, ut corpora Argivorum ceterorumque, qui cum Polynice in oppugnatione Thebarum caesi essent, sepulturae tradat, quam hic iis negaverat. In hac vero Herculis progenies, contra Eurysthei, Mycenarum regis, potentiam et vim a Demophonte, rege Atheniensi, defenduntur. Quamnam vero gratiam, hisce tragoediis, apud cives inire Euripidem necesse erat, nobis statim patebit, si attendamus ad grave momentum, quo universis Graecis jura mortuorum essent, et jus hospitii ac supplicum (29). Profecto, non melius urbem potuit laudare poëta, quam, cum eam nobis proponebat justitiae et humanitatis vindicem, quae non dubitaret, pro sacro illo mortuorum jure, proque supplicibus, quos in civitatem semel admiserat, bellum suscipere cum potentissimis Graeciae gentibus. Hoc loco quoque observemus, quam apte sui temporis rationem habens, illas docuerit fabulas. Tempore enim quo tota Graecia Athenis erat infensa, quo bellum cum Lacedaemoniis et Thebanis iis erat, non nisi elatos populo spiritus poterat addere cogitatio ingrati animi, qua magna illa benefa-

(29) Monuit quaedam de illa Graecorum, praesertim Atheniensium, religione, carissimus frater G. A. Schneither in *Dissertatione de Theramene Agnonis fil. Athen.* p. 29.

facta remunerarent posteri eorundem Heraclidarum, quorum vita ab Atheniensibus erat servata, quorumque sors ab horum virtute et constantia olim pependerat. Qualis esse debuit ira et indignatio populi Atheniensis, Iolaum audientis, qui Heraclidas monet, ne umquam benefactorum obliviscantur, sed carissimam omnium civitatem Athenarum habeant, quippe quae sola eos adjuvisset, cum ab omni Graecia desererentur, numquam igitur bellum contra Atheniensem civitatem audeant movere (30); et cum talia audientes viderent quid Lacedaemonii agerent. At negari non potest, eum nonnumquam nimis indulsisse temporum suorum cogitationi, et in Spartanos eum esse invectum, ubi occasio non ad manum erat, sed vi quasi adducebatur (31).

Sed, si non alia in Euripidis inveniremus tragoediis, ad politicam spectantia, quam ea quae laudem vel universae Graeciae, vel Athenarum continent, magis oratorie quam philosophice res suas egisse, potuisset videri. At patriae vero amore incensus, non neglexit hisce laudibus addere praecepta civibus utilissima. Videbat enim Euripides et rite perspiciebat dotes, quibus instructa erat, et vitia quoque, quibus erat obfuscata, Atheniensium regiminis forma. Libertatis erat amantissimus et

(30) *Heraclid.* 310 sqq.

(31) Exempla vid. *Androm.* 446—464, 596 sqq. *Supplic.* 189.

et aequalitatis jurium in civitate. Pulcre illud nos docuit in Supplicibus, ubi vs. 426 sqq. Theseus praeclare liberae civitatis laudes tuetur, in quibus non minima est, quod in ea

ὅτ' ἀσθενὴς,
ὁ πλούσιός τε, τὴν δίκην ἴσην ἔχει·

neque tamen bona, quae in unius sunt regimine, non agnoscebat, et incommoda, quae oriuntur ex eo, quod in libera civitate homines, de rebus maximi momenti decernunt, qui labore et molestiis, inde a prima juventute, agitati, necessario destituti sunt scientia et cognitione rerum, ita ut justum quid decernere non possint. Similiter agnovit tarditatem in exsequendo consilio, quae semper fere populari regimini inhaeret, ita ut dicat, in rebus agendis, unum minus sapientem praestare multis sapientioribus (32). Luculenter quoque significavit ex sua sententia civitati non expedire, omnium ordinum cives, in omnibus rebus esse aequales. Nam quamquam Athenis omnes omnino cives sive divitiis, generis nobilitate, aut animi dotibus excellebant, sive, infimo loco nati, pauperes essent et abjecti, parês erant, et aequale habebant jus; illud tamen Euripides reprehendit, neque populi irascibilis et suspiciosi odium in hac re metuit. Theseus enim in iisdem Supplicibus tres dicit esse partes civium, divites, qui omnia sibi cupiunt submittere, omnique inhiant potentiae, pauperes, multa vociferantes, prae-

(32) *Androm.* vs. 480.

praesertim in divites calumnias proferentes, et malis sermonibus ducum deceptos, tertiamque partem inter hasce mediam constitutam; in hac autem subsistere vires civitatis, eamque civitatem servare (33). Pariter in Hercule Furente docet, rerum novarum cupidos semper esse pauperes, qui nihil possidentes, omnino nil possunt amittere, etiamsi civitas tota turbetur et ruat (34). Quodsi populum ipsum tali modo docere audebat et carpere, non minus duces et oratores malos insectatur, cum hi praesertim populum captarent splendidis orationibus, quibus potentiam et gloriam populi extollebant, eamque auctum iri promittebant, et eo modo illum ad omnia quae vellent, ducebant. Atheniensium profecto oratorum gregem ad vivum videtur expressisse, cum Medea dicit, se a multis hominibus (a populo puta Atheniensium) sententia discrepare: nam se malum hominem sed facundum mulctare velle, cum is sit scelestus, qui injustam causam verbis se ornare posse glorietur (35). In Hippolyto quum dicit, illud esse quod urbes et familias perdit, quum quis dicit, quae auribus sunt grata, non vero quae expediunt (36), tota belli Peloponnesiaci historia, praesertim Atheniensium in Siciliam expeditio, hujus dicti testimo-

(33) *Supplic.* 238 sqq.

(34) *Hercul. Fur.* 589.

(35) *Medea* 580.

(36) *Hippol.* 486.

monium Atheniensibus esse poterat. Et haec reputantes poëtae necessario assentiri debebant, cum illos, qui nullius pretii sint apud sapientes, aptiores dicat loquendo apud turbam (37). In Bacchis quoque hominem facundum ac sibi confidentem, nisi mentem habeat sanam, perniciosum dicit civem, sapienti, cum bonam nactus sit loquendi occasionem, non difficile esse praeclare dicere (38). Belli gerendi cupiditas Atheniensium, et levitas, qua de rebus maximi momenti statuebant, Euripidis notitiam aufugere non poterant, et de hac re praeclare etiam apud eum exstant praecepta. Juvenes in civitate, qui cum honore afficiuntur gaudent, ait Theseus, bella sine jure multiplicant, cum hic principatum, ille divitias cupiat, non considerantes num populus detrimentum patiatur (39): quo loco, haud scio an Alcibiadem et expeditionem in Siciliam respexerit. At, alio loco ait poëta, non tot bella gererentur, nisi effrenata spes civium animos occupasset; et in decernendo bello, nemo suam cogitat mortem, sed in alium eam cadere optat, quod nisi esset, numquam Graecia furens belli cupiditate periisset (40). Profecto praeclare dictum, et praeceptum, quod nulli populo magis, quam Atheniensi conveniret.

Sed,

(37) *Ibid.* 988.

(38) *Bacchae* 270.

(39) *Supplic.* 232 *sqq.*

(40) *Ibid.* 479 *sqq.*

Sed, si bellum fugiendum esse ait poëta, tamen si honor, sive virtus, aut contumelia ab aliis illata, id postulant, acriter pugnandum esse ait, neque quidquam esse honorificentius, quam pro patria mori (41). Bellum enim propter religionem laesam, aut justitiam in aliis violatam, esse gerendum, docet tragoediis Supplicibus et Heraclidis; in quarum utraque Athenienses bellum suscipiunt, sola moti misericordia infortunii aliorum, et justitia in iis laesa.

Ex loco, quem supra citavimus, videre possumus Euripidem multa mala, in administratione reipublicae, ducibus, junioribus praesertim, tribuere. Multis quoque aliis in locis de necessitate agit eligendi tales duces, qui civitatis jura tueri possunt, et decernere quid ei sit optimum; nam, defectu boni rectoris, multae jam perierunt urbes et regna (42). Qualem vero ducem sibi proposuerit Euripides, inter alia loca apparet, ex loco Supplicum, ubi dicit eligendum esse virum in periculis fortem, et qui populo insolenti audeat resistere, cum populus in prosperitate elatus, et jam omnia magna audens, ipse suam prodere soleat felicitatem (43). Sed in primis attendendum esse dicit, ut vir sapiens eligatur, sapientem enim quemque aptum esse ducem, neque pro-


(41) *Troad.* 399.

(42) *Supplic.* 191.

(43) *Ibid.* 726.

propter opes eligendum quemquam esse (44). Saepe vero accidere, ut civitates pessum eant, vel propter incuriam populi in eligendis magistratibus, ita ut minime apti eligantur, qui mox sponte a munere discedunt; vel propter populi inconstantiam, qui, si aptum forte elegerit, quem hodie eligit, mox a rerum administratione removet (45).

Propter haec omnia Euripidi satius est visum sapienti homini, a rebus civilibus se abstinere (46), quod tamen, non recte ei visum fuisse arbitramur, quum si omnes boni et sapientes in civitate otiosi maneant, non aliter possit, quin tota cito ruat civitas, quam omni modo tueri, primum cujusque civis est officium, ac, ni fallimur, summum probi viri gaudium.



(44) *Iphig. in Aul.* 373.

(45) *Ibid.* 366.

(46) *Jon.* 598.

CAPUT SECUNDUM.

De Amore.

In antiquorum philosophia magnae Amoris erant partes, et majores quam philosophi nostrorum temporum ei tribuere solent. Cum enim Græci, pulcritudinis sensui excolendo, adeo operam darent, ut haec pulcri philosophia, magna totius philosophiæ pars et esset et haberetur; disquisitiones de Amore tam arcte, cum pulcri studio, videbantur conjunctae, ut hoc sine illis exsistere non posse videretur. Alii tamen philosophi, in loco de Amore, aliis erant fusiores, neque omnes ei easdem adscribebant partes. Inter eos vero qui maxime Amorem celebrarant, nemo facile invenietur, qui majorem potentiam ei adscripserit, aut copiosius de eo, in philosophica tractaverit schola, quam Socrates, ejusque discipulus Plato, quorum philosophia *amatoria* per excellentiam dicta est. Neque mirum erat, hunc præsertim locum de Amore fuse tractare, et quasi caput eum reddere totius philosophiae. Nam cum juvenis poësi se dedisset, et ita dedisset, ut totum in ea manere constituisse videretur, et Socratis monitu, et sui ipsius ingenio, ad philosophiam est ductus, eique studere incepit. Huic vero studio adjunxit omnium præclarorum poëtarum le-

lectionem, ideoque effecit, ut philosophia sua poëtico colore esset tincta, unde fluxit, ut ea philosophiae capita, quae cum poësi essent conjunctissima, avidissime arriperet (1). Euripides, plane contraria incedens via, a philosophia ad poësin veniens, eosdem tamen expertus est effectus conjunctionis philosophiae et poësis, cum apud eum quoque amori magnae tribuantur partes, magna ejus sit vis et potentia, magnarum virtutum sit auctor. Dubitari vix potest, quin Euripides hanc suam philosophiam, magna ex parte, Socratis amicitiae et consuetudini debuerit. Nam cum Socratis de Amore sententiam examinamus, videmus illum id in primis voluisse, ut juvenum animos a voluptate et molli amore avelleret, quae corporis sensibus et voluptatibus tantum constat, et ut eos duceret ad illum amorem, qui pulcri et honesti studium complectitur, iisque continetur. Duplicem enim statuit esse amorem, hunc terrenum, Veneris vulgaris filium, illum coelestem Veneris Uraniae comitem: hunc omnino esse fugiendum, illum vero boni, honesti, verique amorem esse appetendum, cum hic amor, eos qui illum colunt ad virtutem ducat et sapientiam (2).

Eadem ratione in omnibus Euripidis tragoe-

(1) Vid. Clar. van Heusde *Init. Phil. Plat.* p. 98.

(2) Pulcerrime haec exposita sunt a Cl. van Heusde l. l. Capit. *de amore*, in primis p. 99—113.

goediis, ubi de amore est sermo, duplicem illum possumus agnoscere alterum purum, suavem, hominum animos ad meliora ducentem, alterum infaustum, voluptatis cupidum, homines ad omnia trahentem scelera. Illum amorem violentum, voluptuosum cogitat, cum amorem dicit bellorum causam, eversionem familiis parantem (3), hominum vitam erroribus agi, si amori operam dant (4), eumque pessima corda inhabitare esse solitum (5). Furorem quoque hunc amorem dixit, (6) ejusque horrendum exemplum nobis in tragoedia Hippolyto proposuit, in qua Phaedra, incesto amore correpta, totam domum, et se ipsam funditus perdit. Quod si talis existit amor, alius quoque est, qui ad justi boniquе notionem nos ducit.

'Αλλ' ἔστι δή τις ἄλλος ἐν βροτοῖς Ἔρως
Ψυχῆς δικαίας, σώφρονός τε κἀγαθῆς (7).

Hunc vero amorem non negligendum, aut fugiendum censet, sed potius omni modo colendum, cum ad virtutem ducat.

Ὁ δ' εἰς τὸ σῶφρον, ἐπ' ἀρετήν τ' ἄγων ἔρως
Ζηλωτὸς ἀνθρώποισιν, ὧν εἴην ἐγώ.

nam si Venus recte admittitur, dulcissimum est do-

---

(3) Vid. fragm. *Dictyis* apud Stobaeum *Flor.* LXII. p. m. 399.

(4) Fragm. *Rhadamanthi* apud eund. Ib. p. 401.

(5) Fragm. *Andromedae*. Ib. p. 399.

(6) In *Antigone* vid. Stob. l. c. p. 398.

(7) Euripid. apud Plutarch. *de educ. puer.* p. 11. E.

donum, quod quis possit accipere (8). Propter hanc; inter utramque amorem, differentiam, optandum hominibus est, ne tota irruat Venus: eo enim casu est intolerabilis (9), homines agitat et plurimum molestat. Multis itaque locis chorum inducit precantem Deos, ut tunc amore fruatur, cum benignus et mitis ille venit (10). Uti Socrates, et post eum Plato, suam philosophiam ipse ἐρωτικὴν dicebat, et se nil scire profitebatur, nisi pauca de amore οὐδὲν ἐπιστάμενος, πλὴν σμικροῦ γέ τινος μαθήματος, τῶν ἐρωτικῶν (11) et amorem omnium bonorum auctorem dicebat, Deumque magnum et antiquissimum (12); ita etiam apud Euripidem Deus omnium potentissimus est amor, omnibus Diis, Jovi ipsi imperat.

Ἔρωτα δ' ὅστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν,
Καὶ τῶν ἁπάντων δαιμόνων ὑπέρτατον
Ἢ σκαιός ἐστιν, ἤ, καλῶν ἄπειρος ὤν,
Οὐκ οἶδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν. (13)

Om-

(8) Fragm. apud Stob. LXI. p. 386.

(9) *Hippol.* 443.

(10) Vid. chorus in *Iphig. in Aul.* 544—590. Cf. fragm. apud Stobaeum l. c.

(11) Plato in *Theag.* 128. B.

(12) Plato in *Sympos.* 178. B.

(13) Fragm. apud Stob. l. c. p. 387.

Omnium facile praeclarissimus Euripidis locus, ubi de amore egit, ejusque laudes celebravit, est fragmentum, quod nobis servavit Athenaeus (14), quod hoc loco apponere liceat:

Παίδευμα δ' ἔρως σοφίας, ἀρετῆς
Πλεῖστον ὑπάρχει, καὶ προςομιλεῖν
  Οὗτος ὁ δαίμων
Πάντων ἥδιστος ἔφυ θνητοῖς·
Καὶ γὰρ ἄλυπον τέρψιν τιν' ἔχων
  Εἰς ἐλπίδ' ἄγει.
Τοῖς ἀτελέστοις τῶν τοῦδε πόνων
Μήτε συνείην, χωρίς τ' ἀγρίων
  Ναίοιμι τρόπων.
Τὸ δ' ἐρᾷν προλέγω τοῖσι νέοισιν
  Μήποτε φεύγειν
Χρῆσθαι δ' ὀρθῶς, ὅταν ἔλθῃ.

Plane hisce postremis verbis cum philosophia Socratica convenire videtur poëta, qui juvenes omnino ad amorem incitat, sed recte eo utendum esse monet. Amorem enim ex dictis apparet, Euripidi fuisse studium pulcri et honesti, et magis animorum conjunctionem, quam corporis voluptatem in amore videtur spectasse. Hinc quoque explicandum est, Euripidem amorem multis locis celebrasse, eumque commendasse, cum tamen multis aliis locis in mulieres ita invehat, ut, et ab aequalibus et a posteris, hoc nomine sit reprehensus. Mulieres apud Græcos, cum

(14) *Deipnosoph.* XIII. p. 561. A.

cum paucissimis exceptis, ab omni liberaliori ingenii cultu arcerentur, generatim non instructae erant animo, philosophiae colendae apto, ideoque apud philosophos parva aut nulla ratio earum habebatur. Hinc amor Græcis plane aliud quid erat, quam hodiernis populis, et apud eos tantum animorum constabat conjunctione, qua amantes quasi una mens in duobus fierent corporibus, et hoc modo, pudore in rebus inhonestis et aemulatione in honestis, ad virtutem uterque incitaretur.

Hoc loco de odio, quod Euripides in mulieres conceperat, disputare longum sit, neque eum defendere vel accusare hoc nomine, scriptionis ratio videtur pati. Pauca tamen de hac re monebimus, ut videamus, num mala tantum, an vero etiam bona, de iis prædicaverit. Nulla fere ejus exstat tragoedia, in qua non hic illic quaedam sparserit, quae mulieribus grata omnino non essent. Nonnumquam in illas invehit, ubi contra artis scenicae indolem videtur et naturam, cum ex ipsarum mulierum persona, in illas proferat injurias. Sic, ut pauca tantum memoremus, Medeam dicentem in scenam introducit, mulieres ad bonum faciendum esse ineptissimas, malorum omnium optimas esse artifices (15). Chorus in eadem tragoedia miseretur hominum, propter mala, quae mulierum conjugium iis parit (16). Andromache

(15) *Medea*. 408.
(16) *Ibid*. 1288.

che miratur Deos hominibus dedisse remedia contra viperarum morsum, non vero inventum esse remedium contra mulieres, viperis multo nocentiores (17). Talia, quae ubique occurrunt, legentibus mirari subit, quomodo quis mulierem talia dicentem nobis possit proponere; praesertim cum idem poëta multis aliis locis demonstret, se ingenium muliebre recte cepisse, et mentem mulierum bene perspexisse. Natura igitur Euripides morosa videtur fuisse indole, unde factum est, ut mala, quae nonnumquam foeminae struxerunt, bene perspiceret; eximia bona, quibus sine iis careremus, non animadverteret, vel saltem nimis saepe negligeret. Neque tamen ita res suas egit Euripides, ut non subinde magnas laudes mulierum tragoediis suis insereret. Omnia enim mulieres sapientes perficere posse virorum auxilio, declarat (18) et multa quoque a mulieribus sapienter esse dicta (19). Muliere mala nihil esse pejus; bonam vero omnium rerum optimam (20). Et recte quoque animadvertit, multorum vitiorum, quibus mulieres sunt affectae, auctores esse ipsos viros qui maxime eas accusant (21).

Si vero ad summam spectamus, quae ex illius tragoediis et indole moribusque mulierum, quas no-

---

(17) *Androm.* 270 sqq.

(18) *Supplices.* 40.

(19) *Ibid.* 296.

(20) Fragm. *Melanip.* apud Barnes. p. 453.

(21) *Electra* 1042 sqq.

nobis in illis proposuit, efficitur, non negare possumus, eum, si mulieres quidem non amaverit, tamen tales nobis plerumque ob oculos posuisse, quae sexui suo maximo sint ornamento et decori, ita ut vix fidem habeamus narratiunculae, quam item protulit Barnesius, in vita Euripidis p. 17. Ed. Beck. quaque Sophoclis de Euripide judicium continetur, quo, uti observavit Baylius, tribus verbis, multo atrociora in mulieres continentur, quam ex omnibus Euripidis tragoediis possit erui (22). Interrogatus enim Sophocles, quare mulieres in suis tragoediis omnes essent perfectae, in Euripidis vero non nisi pessimae et veneficae occurrerent, ille respondisse fertur: quia ego eas propono, uti esse debent, ille vero, uti revera sunt. Nemo certe negabit Electram, Tecmessam, Antigonen Sophoclis, tales esse, ut exempla perfectae uxoris et filiae nobis esse possint; at vero Euripidem non nisi veneficas et scelestas nobis proposuisse mulieres, nemo qui ejus scripta vel obiter inspexerit, poterit affirmare. Phaedram, Medeam, Clytaemnestram, nobis proposuit, sed in Sophoclis tragoediis eaedem nobis proponuntur (23), et cum tragoedia magnis calamitatibus exponendis in primis contineatur, ejusmodi hominum fato et rebus gestis enarrandis, praecipue oc-

(22) Bayle. *Dict. Hist. Crit. v. Euripide* nota L.

(23) Phaedram Sophoclis memoravit inter alios Stobaeus *Floril.* l. c. p. 388.

occupatur. Sed quantam multitudinem egregiarum mulierum nobis proposuit Euripides. Quis non miratur Polyxenae indolem, quis non nobilis illius virginis eximiam virtutem, et generosum animum a perfectione paulum distare dicet. Apud quemnam poëtam maternus amor vividioribus coloribus, iisdemque verioribus depictus invenietur, quam in Hecuba et Andromache fecit Euripides. De nobilissima Iphigenia et Macaria, utraque se pro patria vovente, verbo jam monuimus: sed quid de Alcestide dicemus, quae flore aetatis mortem pro marito non dubitat oppetere, cujusque ultima ad maritum et parvulos infantes verba, præclarissimum totius artis scenicae monumentum fere sunt dicenda. An hanc Alcestidem et Evadnen, quae Capaneo marito cæso, se in bustum injicit, quo illius corpus crematur, non licet comparare, præclarissimis, quas Sophocles induxerit, personis. Profecto qui tales nobis proponit mulieres, indolis quodam vitio a foeminis potest esse alienus, sed nobis non is dicendus videtur, qui occasionem e consulto arripiat, ut iis maledicat et convicietur.

Quaedam hoc capite addenda videntur de Amicitia, cum ejus notio arcte cum amoris apud Græcos significatione sit conjuncta. Multis locis, in tragoediis, de amicitia agens, nonnunquam varias protulit sententias, ut pote diversissimis hominibus verba sua præbens. Ex iis tamen generatim possumus conficere Euripidem justam sibi de amici-

ti-

tia notionem formasse, et recte hominum mores et agendi rationem perspexisse. Animadvertit e-nim multos esse, qui in prosperis rebus amicos se fingentes, fortuna mutata, plane ipsi quoque mutentur, neque priores amicos velint agnoscere: quod se expertum esse Polynices ait in Phoenissis: quales hi sunt amici, qui novam amicitiam jungentes veteris obliviscuntur. (24) Hos tamen homines multis locis carpit poëta, cum dicat non decere probum virum, sorte mutata, ipsum mutari, sed tum maxime se amicum verum probare, cum fortunatus amicos maxime poterit juvare (25); praesertim cum felici et a Diis honorato amicis non sit opus (26). Tales autem non uno loco execratur, et eos se despicere dicit qui amicos juvare recusent (27). Verae amicitiae eximiam laudem ubique celebrat poëta, et simul praecepta hac de re tradit, quae justissima et verissima esse quisque fatebitur. Nam cum raram esse veram amicitiam dicat; (28) inter amicos vero omnia communia esse debere (29); absentium a-

---

(24) *Medea* 560.

(25) *Iphig. in Aul.* 345.

(26) *Herc. Fur.* 1341.

(27) *Medea* 657. *Hippol.* 700.

(28) *Supplic.* 870.

(29) *Androm* 377.

amicorum praesentes curare debere res (30); lugere amicum cum amicis oportere (31); verum amicum propter injuriam, amico illatam, irasci debere, atque amici suscipere partes; (32) nullumque esse remedium efficacius doloris, quam amici cohortationem (33); hisce omnibus patefecit, se recte amicitiae, doni illius Deorum, cepisse indolem ac naturam, neque se veram illam animorum conjunctionem, cum illa familiaritate confundere, quae plerisque hominibus, amicitiae loco et honore habetur.

Neque tantum brevibus sententiis amicitiam laudavit Euripides, sed etiam argumenti nonnullarum tragoediarum amicitia magna est pars. In primis vero illud locum habet in Herculis Furentis parte postrema, et in Iphigenia in Tauride. Cum enim Hercules furore correptus uxorem et liberos interfecisset, ad sanam mentem reversus se ipsum exosus, horrenda illa caede pollutus, lamentatur et, solus cum vetulo patre, planctus edit tristissimos, atque capite obvoluto residens, mortem sibi ipse parare cupit; advenit amicus ejus Theseus, eumque a proposito deflectit, et se-

(30) *Ibid.* 1053.

(31) *Iphig. in Aul.* 409.

(32) *Herc. Fur.* 274.

(33) Fragm. incert. trag. in Ed. Beckian. Tom. II. p. 485. no. LXXV.

secum Athenas abducit. Hac vero tragoediae ejus parte in primis amicitiae laus continetur, cum Theseus neque piaculi metu, neque horrore, quem Hercules ipse sui conceperat, deterreatur, ne eum manu prehendat, amplectatur, et sustentet. Tragicas affectiones semper eximie movens Euripides, eas hac tragoedia, amicitiae verae et sincerae pictura, ita movit, ut inter pulcerrima ejus tragoediarum loca, ultimi Herculis Fur. versus, inde a tempore quo in scenam prodit Theseus, sint referendi. Si vero, hoc loco animos nostros grata affectione afficit, majore etiam commotione movemur, cum in Iphigenia in Taur. nobis altercationem proponit inter nobile illud amicorum par, Orestem et Pyladem, quorum alteruter tamquam victima mactandus erat. (34) Illam tragoediam hoc loco exponere longum sit, cum adeo nota sit haec in primis ejus pars, ut qui quodammodo Euripidem evolverit, hanc quoque legerit sine dubio. Neque in hac tragoedia nobis prætereundus est amor fraternus, qui se et in Iphigeniae et in Orestis ingenio nobis ostendit. Haec enim, cum omnino tempori esset parcendum, et fugae consilium inter se et fratrem ejusque amicum agitandum, de eo, vel de modis quibus fugam possent perficere, agere nolebat, antequam certior facta esset de Electrae sororis

sor-

(34) *Iphig. in Taur.* 674—722.

sorte. (35) Uterque vero et Orestes et Iphigenia, admirationem nostram movent, quando pro se invicem mortem volunt subire, dummodo haec mors alteri fugam paratam reddat. (36) Profecto talia legentes, poëtae assentimur dicenti, cognationem multum prodesse, et in adversis rebus nihil amico cognato esse melius. (37)

CA-

(35) *Ibid.* 912.

(36) l. l. 995 *sqq.*

(37) *Androm.* 987.

CAPUT TERTIUM.

De vita domestica rite instituenda, et prudenter agenda.

Nullus umquam fuit poëta, cujus scripta meliora et plura continerent praecepta, quae ad morum emendationem, et vitam prudenter et beate agendam pertinerent, quam in Euripidis tragoediis offendimus. Quaeque ejus scriptorum pagina scatet sententiis, quae ad omnes casus vitae humanae, et fortunae mutationes respiciunt. Apud antiquos jam scriptores, hoc nomine praesertim, ejus scripta celebrabantur, cum, quod iis forte, alio respectu, deësset, largiter compensarent utilitate et usu in vita hominum communi. Notum est tot ejus sententias, quae fere, teste Cicerone (1), versuum numero sunt pares, ex Medea in primis usurpasse Chrysippum, ut liber quidam hujus philosophi, ejus Medea vocaretur. Earum quasdam nos hoc capite recensebimus, ut inde nobis appareat, quamnam vitae agendae rationem civibus proposuisse Euripides sit dicendus.

Vita humana ita comparata esse videtur, ut qui ri-

(1) »Cui (Euripidi) tu quantum credas nescio. Ego certe singulos ejus versus singula ejus testimonia puto." *Epist. ad Fam.* XVI. 8.

rite ea frui velit, et quam beatissime in hac terra degere, sibi probe debeat habere persuasum, nullam rem in hoc mundo esse constantem, neque ullam magis mutationibus esse obnoxiam, quam hominum felicitatem. Quae cum ita sint, beatus nemo umquam esse poterit: alius quidem, opibus pollens aut familia nobili, alio est fortunatior, beatus vero nemo est (2). Illud vero placitum multis locis protulit Euripides, ut recte cives suos doceret, omnia esse inconstantia et ante mortem nullam esse beatitudinem. Sed cum in Alcestide eadem fere sententia utitur, consolationem addit, ex simili conditione omnium hominum petitam: alios enim alia calamitate premi (3), quod idem fere et in Iphigenia in Aul. et in Jone iisdem verbis iterum profert (4). Mortem autem uti Solon jam dixerat, esse expectandam, ut de felicitate hominis judicium possit ferri, non uno loco significavit, quippe quae sola mutationum et vicissitudinum sit terminus (5). Itaque, quae hominibus contingere potest, felicitas semper e malis et bonis erit mixta, et, si nobis plura bona quam mala Dii tribuerint, bene nobiscum actum esse debemus putare; labor enim nobis est necessitas, et sine eo nullus vitam transigit (6). Hinc ne semper eos, qui potentia excellunt, feliciores du-

(2) *Medea* 1221 *sqq*.
(3) *Alcest*. 915.
(4) *Iphig. in Aul*. 161. *Jon*. 393.
(5) *Alcest*. 100. *Heraclid*. 867. *Troad*. 513 et 1175.
(6) *Hippol*. 208.

ducamus ceteris, cavendum nobis est, aut ne iis invideamus: nam si tales homines a sublimi, quo sunt, statu decidant, summum infortunium patiuntur, cum post priorem felicitatem, jam insueti calamitates ferre debeant: quod quantum sit malum, hi qui semper fuerunt in calamitate, non possunt perspicere (7). Neque tamen homines decet Deos carpere, quasi eos non adeo redderent felices, quam vita haec patiatur, cum in ea bonis mala misceant. Hominibus enim ipsa mutatio est suavis, ac si ex inopinato parva cui contingit felicitas, haec eum majori perfundit gaudio, quam ex diuturna secunda fortuna capere potuisset. Hinc etiam Euripides Orestem dicentem facit, omnem mutationem esse suavem (8), et alio loco optat poëta, ne umquam plane sit felix:

Οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακά,
Ἀλλ' ἔστι τις σύγκρασις, ὥστ' ἔχειν καλῶς. (9).

Ut hisce malis, quae vitam necessario comitantur, resistere possimus, et eorum vim in nostros minuere animos, nihil magis valet, quam si semper moderati simus, et mediocri et tenui utamur vitae agendae ratione, quum haec paucissimis obnoxia sit mutationibus (9*) In primis vero cavendum est, ne curis hanc nostram nimis brevem vitam, etiam breviorem faciamus, sed ope-

(7) *Iphig. in Taur.* 1125. Cf. *Helen.* 425.

(8) *Orestes.* 228.

(9) Cf. Valcken. *Diatr.* p. 230.

(9*) *Medea.* 122. *sqq.*

opera est danda, ut quam jucundissime eam transigamus, cum commoda hujus vitae adeo sint pauca, ut non, curis et sollicitudine, ea minuere etiam debeamus (10). Quod tamen non ita est intelligendum, ut non praemeditatione futurorum malorum, eorum adventum leniamus. Nam in Theseo, deperdita fabula, ipse dixit:

'Εγὼ δὲ τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινος μαθὼν
Εἰς φροντίδας νοῦν συμφοράς τ' ἐβαλλόμην.
Φυγάς τ' ἐμαυτῷ προστιθεὶς πάτρας ἐμῆς,
Θανάτους τ' ἀώρους, καὶ κακῶν ἄλλας ὁδοὺς,
Ὡς, εἴ τι πάσχοιμ', ὧν ἐδόξαζόν ποτε,
Μή μοι νεόρτον προσπεσὸν μᾶλλον δάκοι.

quod ex Anaxagorae quoque schola eum hausisse antiqui scriptores nos docent (11).

Hoc modo cum nostra constituta sit vita, res externae, uti pecunia, nobilitas generis ceteraque talia, felicitatem efficere non possunt, neque tamen, omnino sunt negligendae. Pecunia enim, quamquam non stabilis sit naturae, et, si injuste parta sit, statim ex aedibus evolet, tamen ideo est aestimanda, quia, si quis plura quam quibus indiget possideat, aliis potest gratificari, hospites recipere iisque munera dare: qui verus pecuniae est usus, cum si hoc modo ea non utamur nulla quasi est, cum vir satiatus, sive pauper si-

---

(10) *Herc. Fur.* 504 *sqq.*

(11) Vid. Cicer. *Tusc. Quaest.* III. 14. Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 112 D. Multi scriptores hunc locum imitando expresserunt, uti Terentius in *Phorm.* II. 1. 11 Virgilius *Aeneid.* VI. 103. et Seneca *Epist.* CVII. p. 419.

sive dives, eadem ferre valeat (12). Multus quoque pecuniae est usus, ejusque utilitas, in malis et infortuniis pellendis (13), cum ea voluptates et subsidia nobis possimus parare, quibus paupe-res carent. Attamen nobis non propria a Diis est data, sed tantum mutuo, itaque si illis placet, eam nobis rursus adiment (14). Si vero divitiae habent, quo se commendent, paupertas quoque sua habet bona. Haec enim homines labores tolerare docet atque molestias, quibus et corpus et animus emendatur: hinc sapientia multo magis apud pauperes invenitur, quam apud divites, cum luxuria et mollities pravae sapientiae sint magistrae, ac praeterea intelligentia non a divitiis, sed a Deo veniat (15). Uti de vero quo divitiae aestimandae sunt pretio judicavit, ita etiam opinionem suam declaravit de generis nobilitate, et bonis quae ex ea profluunt. Quamquam enim declararet omnes eodem natos esse genere, itaque generis nobilitatem fortuitum quid esse, prudentia vero et intelligentia tantum veram nobilitatem contineri (16); tamen multis aliis locis ostendit, se non praetervidisse, utilita-

(12) *Electr.* 425 et 945. Vid. Barnesii nota ad 425.

(13) Fragm. *Polyidi* apud Barnes p. 469.

(14) *Phoeniss.* 558.

(15) Fragm. *Alexandrae* apud Barnes. p. 420. fr. *Polyidi* Ibid. p. 470.

(16) Frag. *Alexandr.* apud Eund. p. 419.

tatem et gloriam, quae ex ortu generoso in homines redundant. In primis hanc sententiam amplificavit chori cantu in Andromache, ubi suam opinionem poëtam prodidisse, nobis liceat credere. Ita vero canit chorus:

Ἢ μὴ γενοίμαν, ἢ
Πατέρων ἀγαθῶν
Εἴην, πολυκτήτων
Τε δόμων μέτοχος.
Εἴ τι γὰρ ἂν πάσχοι τις ἀμήχανον
Ἀλκᾶς οὐ σπάνις εὐγενέταις.
Κηρυσσομένων δ' ἀπ' ἐσθλωμάτων,
Τιμὰ, καὶ κλέος.
Οὔτοι λείψανα τῶν ἀγαθῶν
Ἀνδρῶν ἀφαιρεῖται
Χρόνος. κ. τ. λ. (17)

Quod hoc loco dicit poëta, nobilitatem generis in infortuniis auxilio esse, item declaravit in Heraclidis, ubi Jolaus dicit, nihil pulchrius et optatius esse liberis, quam ex bonis natos esse, cum nobilitas generis multo facilius calamitates pellat, quam humilis et abjecta origo (18). Eamque sententiam in Helena Diis ipsis tribuit, ita ut haec vera ejus animi videatur fuisse persuasio (19). Haec vero generis nobilitas et parentibus et liberis imponit officium, ut se dignos reddant sua stirpe. Parentes igitur caveant, ne fa-

(17) *Andromach.* 777 *sqq.*
(18) *Heraclid.* 299.
(19) *Helena.* 1700.

facinoribus patrandis liberis malam relinquant famam. Nam, quamvis quis audaci animo sit praeditus, servus fit, si matris vel patris scelerum est conscius (20). Summa vero ope, liberi niti debent, ut quondam bonorum parentum famam assequantur, et, si possint, parentes virtute superent; quamquam hoc paucissimis tantum est datum (21).

Multas quoque apud Euripidem inveniri sententias, quae ad matrimonium et necessitudinem inter parentes et liberos, se referunt, nemo facile mirabitur. Haec duo enim, quum insignem, in vitae humanae felicitate vel calamitate, eorum sint partes, philosopho, qui praecepta de vita bene instituenda traderet, omnino non erant negligenda. Uxorem ducendam dixit Euripides probam et virtutis amantem, quam si adipisci quis non queat satius esse a matrimonio omnino abstinere (22), quamquam talem uxorem

(20) *Hippol.* 429.

(21) *Helen.* 950. *Heraclid.* 327. *Herc. Fur.* 291. Idem plane expressit Homerus, Odyss. B. 276.

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται
Οἱ πλέονες κακίους· παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

eadem ratione apud hunc, in summam cujusdam laudem dicitur fuisse οὗ πατρὸς ἀμείνων. vid. Iliad. A. 404. Hinc Hector suo filio precatur a Diis, ut aliquando fortior patre eveniat. Iliad. Z. 479.

(22) *Alcest.* 627. Cf. *Iphig. in Aul.* 749.

rem non facile sit invenire (23). Stultum vero dicit eum qui propter opes, aut ut claro uxoris genere ipse a civibus honoretur, malam conjugem sibi adsciscit (24). Mala enim uxor viro saepe auctor exsistit scelerum et maleficiorum, et, si nihil gratius justis nuptiis, infelices damnum sunt maximum. Praeterea conjugium castum cum uxore, inferiore loco nata, praestat magno et honorato; praesertim quia nuptiae cum paribus sunt contrahendae (25). Propterea vero uxor generosa indole et proba in primis est quaerenda, ut ex ea liberos quoque generosos suscipias: liberi enim ex improba suscepti uxore, ipsi quoque maternis vitiis erunt polluti (26). Liberos autem in primariae hujus vitae bona retulit; si quis probos eos habeat et amantes. Omnibus itaque cari esse debent, nam Dei sunt donum (27), divitiis et potentiae sunt praeferendi, et si quis eos non habens eos vituperat, quamquam dives sit et potens, tamen est infelix, cum liberi in prosperis rebus summum gaudium sint et voluptas parentibus, propugnaculum

---

(23) *Ibid.* 474.

(24) *Electr.* 1097.

(25) *Orest.* 602—605. *Medea* 630. *Electr.* 1099. Frag. *Antiop.* apud Barnes. p. 425.

(26) *Androm.* 622.

(27) *Jon.* 472—491. et 307. *Orest.* 541. *Androm.* 420. *Herc. Fur.* 636.

lum firmissimum in calamitate et fortuna adversa (28). Sed hujus felicitatis participes ut fiant parentes, filii eos debent honore et amore prosequi, qui vero id non faciunt liberi se ipsi ignominia afficiunt, et infelices δύστηνοι omnino sunt: uti enim ipsi parentes honoraverunt, ita a liberis vicissim eadem accipient, quae parentibus tribuerint.

Omnes porro hoc loco recensere vel enumerare locos ex Euripidis tragoediis, quibus curam patrimonii commendat, vel moderationem et quietam vitam, a dissidiis internis liberam, laudat, vel descriptiones nobis dat vitae placidae et domesticae, omnium rerum beatissimæ, terminos egrederetur disputationis, et fere non fieri posset, nisi toto hujus opere descripto. Quae porro innumerae apud eum inveniuntur sententiae, ad omnes omnino pertinent casus, quibus vita humana potest affici; sed quum hae, paucis exceptis, novitate, vel eximia, præ aliis, utilitate aut singulari doctrina, non videantur insignes, iis nos supersedere posse credimus, et finem huic disputationi imponere, postquam breviter in unum comprehenderimus judicium, quod de eo ferendum esse nobis videtur.

Euripides itaque philosophico præditus fuisse dicatur ingenio, quod eum impelleret, ut de abstrusis quoque philosophiæ partibus, in scena a-

---

(28) *Orest.* 559. *Supplic.* 361.

ageret, quam præsidium suum et tegimen esse cupiebat. Tragoediis suis, ita de Diis eorumque potentia egit, ut puras suas ipsius sententias de ea re palam faceret, quamquam paulo forte inconsideranter egit, qui illam abstrusam philosophiam populum doceret indoctum, unde in difficultates nonnumquam se inmisit, cum non satis attenderet, quaenam philosopho convenirent, quaenam poëtam decerent tragicum. Locum de Justitia Divina, in quo a decessoribus decessit, non minore præstantia, quam illi exposuit, etiamsi nonnumquam impeditus Diis patriis Græcis. Animorum immortalitatem ita exposuit, ut apertius et melius illud fieri non facile possit, et ut in eo loco maximis philosophis par esse videatur. In illa vero philosophiae parte, quae ad usum vitae pertinet quotidianae, se probavit bonum civem, patriæ amantem, et bona cives docere cupientem. In reliquis vero rectam ejus rationem, qua hominum fortunas et varias eorum mutationes consideravit, et præcepta tradere est conatus, de gravissimis in vita obvenientibus quaestionibus, admiramur et veneramur. Ideoque eum jure ab antiquis Philosophum fuisse nominatum affirmare licet.

T A N T U M.

